

8

GREGORII NYSENI
LIBER
DE VIRGINITATE,
A Petro Galefinio conuersus.



ROMAE, M. D. LXII.
Apud Paulum Manutium, Aldi F.

GREGORII M. P. P. P.

LIBER

DE VIRGINITATE

A Petro Gallesio conuersus.



ROMAE, M. D. LXII.

Apud Paulum Manutium, Aldi F.

BEATISSIMO PATRI
PIO III. PONTIFICI MAXIMO,
PETRVS GALESIIVS

S. D.

COGITANTI mihi, Pater Beatissime, quàm difficilis, & lubrica sit in omnibus disciplinis tota hæc interpretandi ratio; maxime omnium periculosa in Theologia uideri solet. Cum enim diuina animo potius, quàm uerbis cõplectamur; & patres, qui ea scripsere, non uerborum delectum, sed admirabilem quandam rerum, quæ a sensu nostro remotæ sunt, cognitionem e sempiternis illis mentibus hauserint, in ea profecto diuina facultate non uerba ipsa tam spectantur, quàm singularis illa scriptoris etiam mens diligenter sane attenditur. Quare etsi difficillima huiusce rei ratio, & pudor aliquis meus detertere me potuit, ne id oneris susciperem, quod ego uirum mearũ tenuitate suscinere uix possem: tamen et diuina ista tua uoluntas, quæ mirum in modum excitata est ad propagandam religionem, & temporum condicio fecit, ut studium atque operam in eo ponerem, quod quanquã mihi difficile atque arduum uidebatur, tamen, cum sæpe fieri soleat, ut in quod satis nostra sponte ferimur, id uel exiguo freti auxilio consequamur; non mediocrem mihi spem, ut hoc ipsum assequerem, afferebat admirabilis quædam mea ad bonum publicum propensio. Etenim in tanta aduersariorum improbitate, qui obstinate operam dant, ut multis in locis religionis nostræ ornamenta iaceant, & hæresum suarum sica in Imperii catholici lateribus uersetur, non mediocriter rebus nostris ille opem ferre uidetur, qui in hoc interpretandi studio diligenter & pie integreque uersatur: quandoquidem si uere iudicare uolumus, ita illi opinionũ suarum commentis res nostras labefactare conati sunt, ut uerendum esset, ne hæresum suarum pestis sensim serpens latius manaret, nisi nos Deus respexisset, qui exulceratis iam rebus, grauissimisque temporibus, ac pene in ruinis labentis Reip. te Pontificem dedit, & Pium Pontificem: de quo communis est omnium consensus, fore te eum, qui, sedatis hostium motibus, in id toto animo incumbas, ut, quæcunque dilapsa fluxerunt, ea uinciantur singulari prudentia tua: ueraque Dei religio semel Apostolorũ prædicationibus propagata, iterũ te Pontifice disseminetur in omnes gentes; atque Aethiopes,

* ii Iacobita

Iacobite, Armeni, Maronite, Georgiani, & reliquæ gentes, quæ a purissima, castissimaque religione dissident, adhaereant Ecclesiæ Romanæ. Nam si bene sapienterque, Pie Pontifex, actiones tuas attendimus, firmissima duo Christianæ Reip. fundamenta per te constituta sunt, quorum unum primum & summum in Concilio positum est; alterum in eo, quod, sublatis hæreticorum interpretationibus, veterum patrum scripta, quæ uel iniuria temporum, uel hostium perfidia in tenebris iacuerunt, beneficio tuo diuulgabuntur. Quorsum hæc duo, nisi ad illud, quod tibi perscripsisti, saluberrimum decretum? ne quid detrimenti accipiat Resp. Christiana. Certe si quis uel ab ipsis nascentis Ecclesiæ principiis secum animo cogitet, quæ ad hominum male de fide sentientium motus reprimendos inuenta fuerint remedia; inueniet profecto hæc duo abs te iis temporibus adhibita, maxime salutaria extitisse. Nolo hic commemorare sacrosanctos illos veterum patrum, Niceæ, Constantinopoli, Ephesi, Chalcedoneque cõuentus habitos. constans enim iam est, omnique seculorum antiquitate consignata in hominum Christianorum animis inueterauit opinio, illos, qui conatus tum adhibuerunt, ut ueterem illam Ecclesiæ pulchritudinem suis quibusdam commentis, atque opinionibus deturparent; omnes eos, nempe Arrios, Macedonios, Apollinares, Aetios, Nestorios, ceterosque imperij Christiani belluones frequentissimis illorũ patrũ Cõcilijs esse sublatos, et ita sublatos, ut quæ eorũ uestigia tum fixa putabantur ad sempiternã omnium memoriã, nulla uel leuiter pressa ad hodiernũ diem remaneant. Sed profecto quo tempore patribus, quos ueritas Reip. Christianæ testes sempiternos peperit, iis abundauit Ecclesia Dei; tutissimum quidem fuit hoc eius præsidium: nam ut omittam Iudæos, Philosophos, idolorum cultores, ceterosque nomini populoque Christiano acerbissimos hostes, tanta præsertim singulis Ecclesiæ ætatibus fuit hæreticorum hominum peruersitas, ut seminarium præstantissimæ nostræ fidei diuinitus datũ falsa, sceleratæque doctrina quasi obrui posse existimarint. Quoniam igitur, si rem altius repetere uolumus, afflictißimo quoque Reip. tempore Deus oportune sanctissimos uiros, & eos innumerabiles excitauit, qui uirtutum ornamentis præditi, & doctrinarum præsidijs, quasi diuinis telis instructi fortissime, constantissimeque pro rebus nostris dimicarunt, uicta aduersariorum audacia, defensa non solum est Evangelica doctrina, sed ita etiã munita, ut neque conuelli, neque labefactari queat. Non desuerunt enim nascente iam Ecclesia optimi illi & sapientissimi uiri, Polycarpus, Ireneus, Papias, Ignatius, Dionysius, Areo-
pagita,

pagita, Quadratus Atheniensis, omnes Apostolorum discipuli, a quibus Cerinthus, Nicolaus, atque huiusmodi monstra nimirum debilitata, fracta; conciderunt. Deinde Iustinus, Tertullianus, Antiochenus Theophilus, Victor Romanus, Hippolytus, et Xystus Martyres, Clemens Alexandrinus nefarios Basilidis, Marcionis, Carpocratis, Menandri conatus facile repulerunt. Paulo post in tertia iam Ecclesia etate, quam Martyrum messenz appellant, cum tantae calamitates populo Christiano essent allatae, ut nonnulli Principes, referentibus aduersariis nostris, contra illum publicas proscriptionis tabulas proposuerint, nullumque in eum uel impietatis, uel crudelitatis genus praetermiserint; fuerunt tamen tum nostri ex Urbe Pontianus, Urbanus, Anthemius, Cornelius, Stephanus, Romani Pontifices, ex Africa Cyprianus, Pontius, et Graecia Dionysius Alexandrinus, Gregorius Neocaesariensis Thaumaturgus, ceterique multi, qui doctrina et uita integritate praestantes, fideique et constantiae pleni neque teterrimos tormentorum cruciatus, neque plurimorum iniurias atque offensiones timuerunt; sed acerrimi ipsi nostrae religionis duces, neglectis naturae uinculis, ita fortiter se gesserunt, ut nisi sibi pro fide ac religione omnino aut decernendum aut decertandum statuissent, Ecclesiam, quam iam habemus, nullam fortasse teneremus. Post hos Martyres quarto Reip. Christianae seculo maximi patres et eruditissimi uiri successerunt, Reip. nostrae robora, Basilus, Athanasius, Gregorij duo, Nazianzenus, et Nysenus, Proclus Constantinopolitanus, Theophilus Alexandrinus, Epiphanius, Cyrillus, Nectarius, Chrysostomus, Ioannes Damascenus: ex latinis uero hominibus Hylarius, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Vigilus Tridentinus, Maximus Taurinensis, et reliqui cum sanctissimi, tum doctissimi innumerabiles patres, qui perditis Arrii Macedonij, Nestorij, ceterorumque huiusmodi nebulonum conatibus obstitere. Si igitur temporum memoriam singulis Ecclesiae etatibus replicemus, tot tantorumque patrum firmissimo praesidio ita munita reperiemus Ecclesiam Dei, ut cum illa, quibus opinionum quasi tempestatibus, fluctibusque olim agitata est, isdem hoc tempore uehementer perturbetur; ad hos certe motus sedandos illi ipsi sanctissimi patres uel satis esse possent, qui et uita, morumque grauitate, et doctrinarum praesidijs id olim maxime egerunt, ut idolorum cultui nefariusque de fide opinionibus aditum intercluderent, praeclearissimumque posteris monumentum traderent abscondendum de Rep. false religionis. Quare in tanta eorum paucitate, qui his temporibus uel uita et sanctitate, uel doctri-

narum

narum cognitione, sese illis opponant, qui impudentissimis mendacijs ueritatem Evangelicam inquinare student, quid ad Reip. Christianæ tranquillitatem aptius esse potest? quid ad sedis Rom. gubernacula accommodatius, quàm ut præclara illa & religionis, & uirtutum omnium, quæ in ueteribus patribus florent, seminaria hoc tempore diuulgata in oculis omnium ponantur? Soleo sæpe, summe Pontifex, actiones tuas mente cogitare. diuina quidem omnes sunt, & magnis theatris propositæ: nulla tamè clarior, nulla illustrior, nulla denique commendatior sempiternæ hominum memoria, quàm id, in quo uehementer elaboras, ut amissam Christianam Remp. recuperes, afflictam restituas: ad quam rem perficiendam non parùm hoc interesse putant sapientissimi & grauissimi uiri, quoddam beneficio tuo sanctissimis patribus in uulgus editis, poterunt nostri & ob signatis tabulis, & locupletissimis testibus cum ijs agere, qui Ecclesiæ segetem uenenis inficere conantur. O præclarum profecto, & diuinum hoc beneficium tuum. quàm late enim patet, quàm ad multos pertinet. est Reip. Christianæ utile, est Vrbi honestum, est ijs, qui aliquid scripserunt, gratum; est illis, qui uiuunt, commodum, & salutare; est denique tibi gloriosum. primum enim hoc tuo facto eos Ecclesiæ patres restituis, quos & grecos & latinos olim illa sibi conciliauerat ueritatis patronos: deinde est ualde decorum, ut in qua Vrbe primum ab Apostolorum principibus Petro & Paulo seminata Dei religio in omnes gentes manauit, ex eadem in lucem exeant patres ij, a quibus & pro religione, & pro fide suscepta est omnis dimicatio. Postea si eos, qui litteris aliquid mandarunt, attendimus: aut illi gloriae suæ, aut posterorū utilitati seruiuerunt. quàm gratū igitur eis futurum est, ut cum sua monumenta situ obduta adhuc latuerint, a temporum iniuria, uel hominū obliuione uindicentur. Tum postremo quàm multum ad summam omnium hominū, qui uiuunt, utilitatem, dignitatem, salutemque conducet, ea in lucem emitti, quæ pro uera Dei religione ueterum patrum diligentia procurata & constituta sunt. Horum enim omnium cognitione cum nefaria aduersariorum doctrina explodatur; tum incredibilis quædam et uera utilitas cum salute coniuncta pariatur necesse est. Nam si ex sapientum fortiumque uirorum rebus gestis bene uiuendi exempla sumimus, id certe sanctorum patrum scriptis legendis multo melius nos sane consequimur, cum ueræ illæ uirtutes sint habendæ, quæ cum fide, sine qua Deo gratum nihil esse potest, coniunctæ a nobis percipiuntur. Hæc igitur omnia cum ita se habeant: que res esse potest, Pie Pontifex, ad nominis tui commendationem præstantior, quàm

quàm ab omni hominum genere te amari fama meritorum? quæ gloria maior, quæ firmior sempiternis sæculorum ætatibus, quàm disciplinas restitue-
re? studia patrum, quæ iacebant, erigere? & quæ obsita in tenebris erant,
in lucem edere? ea enim, quæ ex armis gloria est, odiosa esse solet, & peri-
culosa. Quare nihil cunctandum, nihil super sedendum, neque sumptibus
uel maximis parcendum, ut ista tua pia & benefica uoluntate, quæ in pro-
paganda religione tota posita est, ea patrum antiquorum monumenta repa-
rentur, quæ hominum negligentia, ne dicam scelere, amissa sunt. Ego cer-
te quoniam hoc tuum beneficium, Sanctissime Pater, aliqua ex parte ad me
item pertinere intelligo, dabo quidem operam omni tempore, ut, quantum
in me est, grata illud memoria prosequar. nunc uero cum mihi data sit oc-
casio testificandæ huius uoluntatis meæ, nolui pro eo sane ac debui eam o-
mnino prætermittere. nã amplissimi quattuor Cardinales, quibus hoc abs-
te mandatum est, ut ueteres illos in primis de pura Dei religione sanctorum
patrum libros edendos curent, tanquã ij, qui e Rep. nunquam deiciant ocu-
los, cum ei optime consultum putarint, ut quos olim habuerit oppugnata
semper ab hæreticis uirginitas cum græcos tum latinos patres sui defenso-
res, ij hoc tempore in uulgus prodirent; Gregorij Nyseni libellum uere au-
reum, qui de uirginitate est, mihi dari iusserunt, quem latine redderẽ. Nã
ego, ut pote cum ingenij mei non audax existimator sim, dubitauì susci-
pere tantam rem, quantam facultate consequi difficile putabam, tamen, ut
dixi, me studium tuum, quo mirifico teneris non solum conseruandæ, sed
etiam propagandæ religionis, & temporum ratio fecit, ut rem ipsam aggre-
derer; diligentiaque et assiduitate perfecì, quod ingenio uix assequi putabã.
Itaque Nysenus Gregorius de uirginitate a me cõuersus iam in Sanctitatis
tuæ nomine apparet. quod ut facerem, multa me quidem cõmouerunt: pri-
mũ beneficii tui magnitudo; æquum enim erat, ut quod tuis maximis sum-
ptibus fit, id tuæ solum benignitati acceptum referretur: omnique scripto-
rum genere commendaretur hominum memoriæ, ut omnibus sæculorum æta-
tibus intelligant homines, Pio IIII. Pontifice & græcorum monumenta
restituta, ac latinis litteris illustrata; & latinorum, tenebris offusa, in lucem
edita: quo exemplo excitati reliqui, qui postea succedent Pontifices, ad id
maxime se conferant, quod Reip. utile sit ac salutare. deinde cum de Virgi-
nitate agatur, in cuius laudibus perpetuus est catholicæ Ecclesiæ cursus,
consentaneum quidem erat, ut in eius nomine diuulgaretur, qui ad ipsius Ec-
clesiæ gubernacula sedet. tum ad hoc me impulit Nysenus ipse Gregorius,
qui

qui auctor est non contemnendus, sed Basilio quidem fratre dignus: nam cum diligentissimus est rerū diuinarum perscrutator, tum certe omnium scientiarum disciplinis maxime instructus: idque in hoc libello apparet, in quo sepe per amplissimum illum rhetorum campum ita euagatur, ut grauitate, pondereque scientiarum refertissimus, cum de Virginitate disputet, qua una uirtute reliquæ omnes continentur, Euangelicæ quoque disciplinæ maiestatem complectatur, propositaque sola uirginali laude, illam plane etiam philosophorum seueritatē attingat, ut non solum una cum Stoicis de honesto differat, uerum etiam cum reliquis honestis philosophorum disciplinis, patrocinium earum suscipiat actionū in quibus uirtutis splendor est maximus. Quæ omnia cum ita sint, illud abs te Pater Beatissime peto atque obsecro, ut etsi græci sermonis eam, qua in Nyseno elucet, dignitatē hac mea interpretatione minus affecutus sum, libenti tamē animo accipias, ut Sanctitatis tuæ nomine ego maiora posthac præstare possim. etenim in hoc libello uertendo etsi nullum fortasse secutus uideor orationis florem, studui tamen diligenter, ut uirginitatis, cuius acerrimum se Nysenus grauitate quadam uerborum græcorum defensorem ostendit, formam ego & quasi faciem ita latine exprimerem, ut aliquos illa etiam latinis hominibus amores excitaret sui. Deus opt. Max. te diu incolumem conseruet, ut qua pie sancteque inchoasti ad constituendum Ecclesiæ statum, ea ita perficias, ut illi primum gloriæ, deinde Ecclesiæ utilitati, tum tibi dignitati sint perpetuo futura.

Ex Hieronymo.

Gregorius Nyfenus Episcopus, frater Basilii Cæsariensis, ante paucos annos mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros, qui & multa alia scripsisse, & scribere dicitur.

I
SANCTI GREGORII,
EPISCOPI NYSENI,

PRAEFATIO DE VIRGINITATE.

O RATIO hæc omnis eò spectat, ut, qui eius uim assequuntur, iis profecto uitæ honestæ, & quæ uirtuti maxime cõueniat, allatura sit cupiditatem. permultæ enim cū sint, ut diuini Apostoli uerbo utar, distractiones, quæ communi hominum uitæ impendent : necessario hæc quidem oratio, quasi quosdam sanctioris disciplinæ aditus, atque fores uirginalis uitæ, rationes constituit : tanquam neque iis, qui in hac uitæ uulgaris societate occupati sunt, facile sit otioso animo se diuiniõis uitæ institutis tradere ; & illis, qui ab omni turbulentæ uitæ consuetudine se remouerunt, ualde promptum sit, ac facile, in grauioribus rerum diuinarum studiis sine ulla interpellatione, ac libere uersari. Et quoniam aliquo modo consilium per se non multam ad persuadendum uim habet ; neque qui ad res aliquas utiles, & salutares adhortatur, facile quempiam simplici uerborum ratione flectit, nisi illud unum ante grauiter, & ample exornauerit, ad quod auditorem ipsum impellere studet : propterea oratio hæc, quæ consilio concluditur, & terminatur, a uirginitatis laudibus exorsa est. Quæ auté cuique rei laus attribuitur, ea quia rerum inter se pugnantium appositione, quasi contentione quadam, illustrior fit : non sine causâ a nobis molestiarum, ac difficultatum, quibus humana uita afficitur, mentio

A facta

facta est. Deinde explicatio quædam, & illa quidem breuis est introducta uitæ illius, quæ philosophiæ consentanea est: illudq; sane conclusum est, non posse eam uitæ rationem quenquam assequi, qui in humanis negotiis omnino uersatur. Sed cum eorum, qui rerum humanarum curam abiecerunt, corporis cupiditas debilitata sit, & quasi languescat appetitio: illud item ordine quæsitum est, quæ a nobis res sit uere appetenda: cuius rei gratia ab eo, qui naturæ nostræ effector est, ipsam appetitionis uim naturamq; nos accepimus. Quæ quidem re, quoad fieri potuit, plane explicata, neque etiam præpostere uisum est, rationem quandam, atque uiam indagare, qua hoc sane bonum assequeremur. Vera igitur, & solida uirginitas cum nullis peccatorum fordibus obsolescat, ea ad hanc ipsam indagationem inuenta est ualde accommodata. Quamobrem quæcunque hac oratione exposita sunt, etsi aliud spectare uidentur, omnia tamen ad hanc uirginalem laudem plane referuntur. Singula enim huius uitæ præcepta atque instituta, quæ diligenter sunt, & accurate exculta ab iis, qui sanctæ uitæ huius participes sunt, nimiam uerborum copiam effugiens, hæc percurrit oratio: ac generatim per communia præcepta adhortatione producta, res singulas ita quodam modo comprehendit, ut neque res ullas necessarias prætereat, neque extra modum uagetur. Cum autem in more, atque hominum consuetudine illud positum sit, ut omnes iis potissimum sese studiant, quorum laude uiros illustres extitisse uiderint: necessario qui calibatus gloria floruerunt, eos pie commemorauimus. Et quoniam neque rebus narrandis exempla ad uirtutis perfectionem tantum quidem momenti

PRAEFATIO DE VIRGINITATE. 3

menti habent, quantum certe habet tum uox ipsa, tum maxime exempla, quæ res salutares gignunt: idcirco iure, & merito, hac prope extrema oratione, religiosissimi Episcopi, & patris nostri meminimus: quasi unus omnium maxime possit hæc ipsa, quæ quærimus, docere. mentio autem eius non nominatim facta est, sed ex quibusdam signis oratio ipsa ostendit eum esse, quem nos significamus: ut ne, qui postea in hoc sermone uersantur, id consilium iis uideatur inutile, si, qui in hanc uiuendi uiam ingrediuntur, se ad iuuenes conferre iuberentur. at uero hoc solum hi inueniendo, nempe qualem esse deceat huius uitæ moderatorem, deligant eos sibi duces, qui munere, ac benignitate Dei instituti sunt, ut honestæ uitæ huius rationibus præsent. ita enim aut inuenient id, quod quærunt: aut, quale hoc esse debeat, non ignorabunt.

Sententiarum uero ratio, atque ordo hic est.

- I. Virginitas omni est laude præstantior.
- II. Diuinæ & incorporeæ naturæ Virginitas proprium est, ac perfectum officium.
- III. Commemoratio difficultatum, & molestiarum, quæ e nuptiis existunt: qua in re demonstratur item is, qui hanc orationem conscripsit, non fuisse cælebs.
- III. Quæcunque in hac uita eueniunt absurda, atque absona, initium ab nuptiis habent. Qualis item esse debeat is, qui uitæ huius se cõmunionem uere abduxerit.
- V. Animi integritatē, eiusq; ab omnibus affectibus uacuitatē, corporis mūditiæ, atq; elegantiæ anteire oportet.
- VI. Eliæ, & Ioānis mentio, qui hoc uitæ genus secuti sunt.

A ii Qui

- VII. Qui multis rerum curis distrahitur, fieri non potest, ut
is animo integro sit, ac perfecto.
- VIII. Matrimonium neque contemnendum, neque uituperandum.
- IX. In omni re usus, & consuetudo non facile commutari potest.
- X. Quid re uera uel maxime expetendum.
- XI. Quo modo quis in huiusce rei consideratione, & contemplatione uersetur.
- XII. Qui fordes suas eluit, in se ipso diuinæ pulchritudinis speciem intuebitur. Atque de causa item mali.
- XIII. Potestate, & ui mortis potentior uirginitas.
- XIIII. In omni studiorum genere uera uirginitas spectatur.
- XV. Quomocunque aliquid extra uirtutem positum sit, pariter in periculo uersatur.
- XVI. Ad bonum item minime aptus est, quicumque aliqua ex parte in uirtutis officio peccat.
- XVII. Sola aliqua uirtus, etiam recte excolta, minime eum iuuabit, qui omnibus rebus uirtutem non colit.
- XVIII. In omni re omnes animi potestates uirtutem singulæ spectare debent.
- XIX. De Maria Aaronis sorore, ueluti de ea, quæ huius recti officii rationem prima inierit.
- XX. Non potest quis simul corporis uoluptatibus seruire, & ea, quæ ex Deo capitur, lætitia frui.
- XXI. Qui recte uiuendi consilium capit, debet is ab omni corporis uoluptatum genere abhorrere.
- XXII. Non debet quis continentiam magis, quam oportet, colere.
- XXIII. Ad perfectionem aduersatur animo tam corporis obest, quam immoderata afflictatio.
- XXIIII. Qui accuratam huius uitæ rationem assequi cupit, ab optimo uiro erudiatur necesse est.

SANCTI

5

SANCTI GREGORII,
EPISCOPI NYSENI, DE VERA
ET INCORRUPTA
VIRGINITATE.

Omni laude præstantior Virginitas. I.

ERMULTIS olim uirginitas dicendi fuit argumentum, idque ad ostentationem, cum innumerabiles iis, qui honoris appetentiores essent, occasiones afferret, non solum ut dicendo magnifice se iactarent, sed ut etiam donis, quæ huic perfecto uirginitatis officio insunt, ample gloriarentur. Ego uero omnibus, a quibus honestas cum castitate copulata pluris æstimatur, quàm reliquæ res omnes, quæ uirtute præstant, iis graue quidem hoc studium, & honestum esse, neque ipse negauerim. atque, ut ii, qui in certaminibus uictores præconio laudum exornant: sic ego tam excellens hoc, atque admirabile bonum, quantum in me erit, prædicare nunquam desinam: propriamq; uirginalem laudem, ac maxime omnium accommodatam, recte agentibus naturaliter inesse dixerim, atque ex ipso magis nomine cognosci, quod cum ipsa re simul enunciatur. etenim qui nuptiis se continet, eum castum, & incorruptum didicit appellare hominum consuetudo. magni igitur huius, ac diuini muneris uel ex eo solo ostenditur excellentia, quòd, cum multa sint, & illa quidem magna, quæ in perfecto uirtutis officio elucet, hæc tamen una uirtus ex omnibus incor-

incorruptionis nomine, ac laude ornata est. Quicumque uero longius orationum digressionibus huius rei latius explicant laudes, quasi ex hoc aliquid admirabili huic uirginali studio sint addituri, hi profecto mihi se ipsos ignorare uidentur, cum suæ sententiæ magnopere ipsi repugnent. quibus enim encomiis se rei magnitudinē amplificare arbitrantur, iisdem suspectam faciunt laudem. nam quæ natura excellunt, admirationem secum afferunt, neque orationum patrocinio indigent: qualia sunt cælum, sol, ceteraq; id generis, quæ in omni cælo, & terra aliquid admirabile habent. humilioribus autem studiis oratio pro fundamēto proposita aliquam magnitudinis opinionem laudum artificio adiungit. Ergo quæ laus uirginitatis est? ut scilicet statuatur quis uirtutem ipsam omni esse laude præstantiorem: atque ex ipso potius uitæ genere, quàm ex aliqua oratione, castitatem suspiciat, atque admiretur. nam qui in hoc uirginitatis laudandæ argumento gloriæ cupiditate adductus uersatur; non ab eo plane dissimilis est, qui aliquam sudoris sui stillam, quam is magni faciat, immenso mari putet fore additamentum; si modo hominum sermone crediderit tantum munus posse illustrari, atque ornari. aut enim is suarum uirium ignarus est, aut id, quod laudat, non intelligit.

Diuinæ, & incorporeæ naturæ proprium, & perfectum uirginitatis officium. II.

I NTELLIGENTIA nō parua egemus, ut cognitionē capere possimus huius excellentis gratiæ, quæ cum incorrupto patre comprehenditur. Res admirabilis est, atque inusitata, ut uirgi-

uirginitas in patre inueniatur, qui & filium habet, & filium absque affectu genuit. Cum unigenito autem Deo, qui omnis pudicitiae, & incorruptae uirginitatis auctor est, simul cognoscitur, cum in eius pudica, atque incorrupta generatione pariter eluxerit. Rursusq; mirum aequè est filium in uirginitate comprehèdi. Eadem ratione in spiritu puro, atque incorrupto spectatur. Cum enim purum nominas, atque incorruptum, uirginitatem alio nomine significas: quae in uniuersa denique caelesti natura simul uersatur; quia cū ab affectibus uacua sit, sublimibus illis potestatibus inhæret. Neque uero, etsi a nullis rebus diuinis seiuncta est uirginitas, contrariis tamen est rebus adiuncta. cuncta enim, quae & natura, & consilio ad uirtutem propèsa sunt, omnis incorruptae uirginitatis, pudicitiaeq; splendore decorantur: quae uero in contrariam uirtutis partem procliuias feruntur, castitatis lapsu ea talia & sunt, & nominantur. quamobrem quae tanta erit dicendi facultas, & copia, quae tam magni muneris dignitatem laudibus aequare possit? quoue pacto non pertimescendum, ut ne studio laudum quis dignitatis amplitudinem lædat, si minorem iis, qui audiunt, quam ipsi antea conceperant, opinionem is laudando afferat? præclare agitur, si quae in alicuius rei laudibus uersantur orationes, in hac prætereantur: quasi difficile sit orationis uim, & copiam comparare, quae grauissimo huic argumento respondeat: quemadmodum contra illud facile est, diuinum hoc munus perpetua memoria colere, atque id bonum in ore semper habere, quod incorporeæ, diuinæq; naturæ proprium quidem ac præcipuum est, Dei tamen benignitate iis etiam, qui e carne, & sanguine effecti huius

huius uitæ usura fruuntur , datum , & tributum est , ut uirginitas quasi manum munditiæ participē porrigens , hominum naturā uitiosa affectione abiectam rursus erigat , & ad cælestium contemplationem perducatur . ob eam enim causam mihi dominus noster Iesus Christus , a quo ueluti fonte quodam omnis castimonia manat , non nuptiarum uia quæsitâ , in hanc uitam ingressus uideatur ; ut ex eo modo , quo carnem humanam assumpsit , admirabile hoc , & magnum plane mysterium patefieret : quoniam , quæ Dei aduentum demonstraret , sola castitas idonea est : quam aliter perfecte omnino præstare nemo potest , nisi qui ab omni carnis affectu se etiam atque etiam totum auerterit . quod enim in Mariæ uirginis inuiolatæ corpore effectū est perfecta Christi diuinitate , quæ in ipsa uirgine eluxerat , hoc ipsum in omni animo contingit , qui sit castitate ornatus , rationemq; ducem in uirginali uita sequatur . quoniam non amplius , ut corporis humani formam habitumq; induat , uenturus est Dominus , (non enim etiam nouimus , inquit , secundum carnem Christum) sed in spiritu ueniet , & patrem secum ducet , ut quodam loco testatur euangelium . Quoniam igitur tanta uis uirginitatis est , ut & in cælis apud spirituum patrem maneat , & cum cælestibus illis mentibus una exultet , & salutem humanam attingat ; cumque Deum ipsum sua ui ad humanæ uitæ communionem ducat , hominemq; rursus ad cælestium rerum cupiditatem excitet ; atque adeo hominum cum Deo familiaritatis uinculum quoddam hæc cum sit ; & ea , quæ uicissim natura ualde distant , ipsa concilians in consensum , concordiamq; redigat : quæ dicendi uis inueniri posset , quæ mirabilis huius rei

rei magnitudinem assequatur? Sed quia absurdum plane est, mutarum rerum, & earum, quæ sensu carent, similem se esse uideri; e duobusq; alterum est, ut aut quis uirginales laudes non agnouisse uideatur, aut ad harum cognitionem non commotum se, neque affectum ostenderit: nos hoc ipso de genere toto pauca quædam commemorare proposuimus: quoniam illius, qui nobis præcepit, imperio omnibus in rebus parendum erat. Neque uero magnificam uerborum ostentationem quis a nobis requirat: quandoquidem etiam si nos expeteremus, hoc fortasse nobis, id orationis genus negligentibus, præstare non liceret. sin autem facultas nobis huius ostentationis, quæ generatim minus expedit, inesset: in concionum genere eam approbari, hoc nos antiquius habuimus. nam qui ratione præditus est, illud ei potissimum quærendum esse arbitror, non quibus rebus maximam præter ceteros admirationem sui excitauerit, sed quibus cum sibi, tum ceteris adiumentum sit allaturus.

Commemoratio difficultatum, ac molestiarum, quæ e nuptiis existunt: qua in re demonstratur item is, qui orationem hanc conscripsit, cælebs non fuisse.

III.

V **TINAM** aliquo modo fieri posset, ut ex hoc studio mihi quoque aliquid amplius contingeret, quo propensiore animi uoluntate ego in hoc studii genere laborem posuisssem: quoniam si ea spe ducerer, ut, quemadmodum litteris proditum est, frugum, quæ ex aratione, tritura ue percipiuntur,

B

piuntur,

piuntur, partem ego quoque aliquam ferrem; accurate sane in hac oratione elaborassem. nunc uero mihi uirginaliū laudum cognitio quodam modo inanis est, ac minime fructuosa: quales solent esse terræ fruges bo ui, qui ore frænis impedito ad aream conuertitur: id quod accidit item ei, qui aquam sitit e præruptis faxis defluentem, neque eam capere potest. præclare quidem cum iis agitur, quibus integrum, & liberum est meliora deligere: quiq; cum communi se uitæ dederint, quasi uallo aliquo circumsepti non tenentur: quemadmodum nos, qui ueluti quodam terrarum hiatus prohibemur, quo minus ad hanc uirginalem gloriam accedamus, quam attingere illis amplius non licet, qui in humanæ uitæ curriculo uestigiū semel imprefferint. quare nos alienarum laudum spectatores, beatæq; aliorum uitæ testes, licet magnum aliquid, & præclarum de uirginitate cogitemus: tamen idem nobis contingit, quod conditoribus, administrisq; conuiuui usu uenire solet, qui conquisitissimis cibis ad aliorum uoluptatem diuitum mensas condiunt; ipsi uero earum rerum, quæ apparatus sunt, nullam omnino partem habent. quàm beati essemus, nisi res ita se haberet: neque nos præpostero consilio, feroq; malum cognosceremus. certe huiusce laudis hi æmulationem re uera profitentur, ac plus sane, quàm cupiunt, & optant, illi quidem agunt, quibus ad bona hæc perfruenda nō est obstructus aditus. nos uero iam in ea porro condicione sumus, in qua ii, qui diuitiarum, atque opum amplitudine suam cum ipsi contemplantur paupertatem, maiores ex rerum suarum statu sibi struunt sollicitudines, uehementiusq; torquentur. ita nos quo magis uirginitatis

ginitatis diuitias cognoscimus, eo grauius, rebus melioribus indagatis, aliud uitæ genus lugemus; cum animaduertamus quibus, quãtis ue bonis careat, neque iis solum, quæ illos manent, qui honeste, casteq; uixerunt, sed illis etiam, quæ huius uitæ propria sunt. si quis enim diligenter exquirere uelit, quæ sit huius a uirginali uita dissimilitudo: tantam profecto inueniet, quanta ferme est terrenarum rerum a cælestibus: huiusq; orationis ueritatem cognitam, exploratamq; ii habere possunt, qui res ipsas ratione, animoq; iustitauerint. Vnde igitur quis initium faciendo, acerbam hanc uitam tragice satis deploraret? aut quo modo hæc communia uitæ incommoda ob oculos poneret, cum ex usu satis hæc ipsa omnes intelligant? Ac nescio quo modo natura effecit, ut hæc ipsa ignota sint iis, qui ea perspicunt, cum homines, in quibus hæc res insunt, ultro ignorent. Sed lubet ne ut a rebus iucundissimis exordiamur? Igitur rerum omnium, quas in nuptiis homines expetunt, caput illud est, ut conuictum, uitæq; societatem iucundissimam assequantur. atque hæc quidem ita se habeant: nuptiæq; omni ex parte quambeatissimæ describantur. Generis nobilitas, diuitiarum satis, apta utriusque ætas, pulchritudinis flos ipse, illecebræ multæ, & blandi amores: quasiq; in utriusque mente hoc uersetur, se ceteris præstare: dulcis illa contentio, cū alter alterum in amore studet uincere. accedant ad hæc gloria, opes, potentia, splendor, & omne denique, quod addi lubet. attamē tu uelim uideas ægritudinem quandam, quæ sensim hominem conficit, unaq; necessario iis rebus inest, quæ in bonis numeratæ sunt. prætereo inuidiam, quæ concitari in eos solet, qui gloriæ

mirroli

B ii affecuti

affecuti sunt splendorem : neque commemoro, quàm facile hominum insidiis illud expositum sit , cum quis in uita rebus secundis uti uideatur ; quàm ue paratus sit omnis , cui bonorum æquatio non contingit , naturale quoddam odium habere in eum , qui plus adeptus est : atque propterea iis , qui optima animi constitutione esse uidentur , propter suspicionem quandam molestiarum plus uita hæc , quàm uoluptatum affert . Miffa hæc facio , quasi contra eos omnis languescat inuidia . At nõ facile inuenire quempiam licet , in quo hæc duo simul conuenerint , ut secundioribus , quàm multi , rebus utatur , & inuidiam declinet . sed tamen faciamus esse , ut ab his omnibus , si uidetur , uacua sit , & libera hominum uita : uideamusq; an fieri possit , ut qui hoc secundo rerum cursu utuntur , tranquillo , rectoq; animi statu sint . Quid igitur erit , inquires , quod molestiam afferat , nisi florentissimos homines attigerit inuidia ? Hoc ipsum dixerim , cum illorum uita omnibus circumfluit bonis , quod est doloris incitamentum . nam quàm diu homo res mortalis est , & caduca ; sepulcraq; eorum , a quibus ortus est , intuetur ; si paululum modo rationis est particeps , in dolore est , qui cum hac uita coniunctus separari , & auelli non potest . nam assidua , quotidianaq; mortis expectatio non ullis certis , neque definitis signis cognita , sed propter incertos casus semper , ut in tabis morbo , perterrefaciens , hanc uitæ iucunditatem perpetuo turbat , atque rerum , quæ sperantur , metu lætitiis omnes peruertit . si enim fieri posset , ut ante periculum rerum , quas postea quis est expertus , disceret ; aut aliqua alia coniectura is , qui in hac uita uersatur , res perspicere posset : quantus profecto fieret illorum

illorum concursus, qui ad uirginitatem a nuptiis confugerent? quãta cautio, prouisioq; animi adhiberetur, ut inexplicabilibus iis laqueis nunquam se irretissent, quorum difficiles nodos non potest alius accurate cognoscere, nisi qui retibus ipsis illaqueatus tenetur? Cerneret enim, si hoc tamen sine periculo liceret, multam rerum inter se dissimilium perturbationem, risum luctu admistum, mærorem cum lætitia confusum, semperq; iis, qui nati sunt, propter spes, quas sibi proponunt, mortem impendere, ac singula, quæ in uoluptate posita sunt, mortem attingere. Sponsus honestam faciem, & amabilem cum cernit, continuo eum metus inuadit, ne a se disfungatur: cum suauissimam uocẽ auribus percipiet, ei in mentem statim ueniet, a se nunquam amplius auditum iri: formoso, & liberali aspectu cum delectatus est, tum luctus expectationem horret: ac denique quæ adolescentes in pretio, & in honore habent, quæ ue insani expetunt, si ea intuebitur, uerbi causa, oculum palpebrarum uenustate insignem, supercilium oculo decore circumfusum, genas forma, & lepore elegantia affluentes, labrum naturali rubore suffusum, comam auro intexam, capitis uerticem uariis coloribus, gemmisq; refulgentem, & omnem illum denique uenustatis splendorem, qui ad tempus manet: tum omnino, uel si paulum rationis in eo sit, illud simul mente intuetur, omnem illam uenustatem aliquando prorsus interituram esse, ad ossa deformia, turpia, ac foeda redactam, amissa pristina specie, nullum autem uestigium, nullum monumentum, nullas huius floris reliquias afferentem. Si igitur hæc, ceteraque huiusmodi secum quis animo reputarit, num iucunde uiuet? num in iis, quæ

quæ ipse bona possidet, fiduciam, spemq; ponet, quasi illa perpetuo maneant? non ex his exploratum habet, se ueluti in somniorum fallaciis incertum fore; nihil in iis, quæ ad hanc uitam pertinent, se fidei habiturum; cum in eas res, quæ uidentur esse, tanquam in alienas incumbat? Iam plane intelligis, si rerum, quæ sunt, aliquam rationem tenes, nihil eorum, quæ in hac uita speciem aliquam præbent, ita, ut est, uideri, sed omnia ex opinionis errore diuersa se se nobis ostendere; spe eos illudendo, qui illis intenti sunt, occultandoq; se se specie quadam eorum quæ uidentur, dum euestigio in commutationibus aliquid aliud compertum sit præter hominum spem, quæ stultis errore quodam innascitur. Ergo qua uoluptate ei, qui hæc ratione secum cogitat, digna uidentur? num uitæ iucunditates is uere sentiet, qui hæc intelligit? et iis rebus, quas putat in bonis habere, omnino gaudebit? non uicissitudinis perpetuo metu affectus, gustum, qui ex his rebus capitur, sine sensu uoluptatis habebit? Præterea signa, prodigia, somnia, uaticinationes, ceterasq; id generis ineptias: quæ omnia stulta hominum consuetudine obseruata in peiorem partem coniectura trahuntur. Sed tempus pariendi instat, laborat puella e dolore: neque pueri ortus, sed quia mors tum imminet, hoc negotium putatur: mors enim prægnantis propter incertum partus exitum timetur: eosq; sæpe hæc mala diuinitio non fefellit: ante uero quam diem natalem egerint, bonumq; ullum, quod in spe esset, degustarint, omne gaudium in marorem repente commutarunt. præterea qui amore flagrant, neque dum rerum, quæ in uita iucundissimæ sunt, quasi specie uoluptatis aliqua in somnis

obla-

oblata, sensum ceperunt; hi ab omnibus, quæ in manibus tenent, subito diuelluntur. Ad hæc illud etiam, quod eorum cubiculum a domesticis, ut ab hostibus, diripitur: cubiculique loco funeris exequiæ exornantur: insanæ in his lamentationes, ac plangores, inanes manuum percussiones, anteauctæ uitæ commemorationes, diræ detestationes eorum, qui nuptias suaserunt: querelæ grauissimæ de amicis, qui non prohibuerunt: in magna culpa parentes, si adsunt, sin minus, stomachatio, & deploratio humanæ uitæ, naturæque; omnis reprehensio, & contra Dei ipsius prouidentiam criminatio-nes, & accusationes multæ: secum pugna, bellum cum iis, qui adhortati sunt: nullis aut uerbis, aut rebus infulsissimis abstinent. quos enim perturbatio mentis superauerit, & qui præ dolore sæpe mente deseruntur, peiori termino eorum tragœdia sæpe conclusa est, cū dolo-ri resistere minus potuerint. Sed hæc mittamus, ponamus meliora: laborum in pariendo periculum fugit, natus est ei scitus puer, imago ipsa parentum formæ. Vi-des profecto quanto in bono tibi ex argumenti ratione gratificetur oratio. Quid? est ne propterea deplorandi materia imminuta, an non potius adaucta? Nam cum superiores illi formidines sustinent, tum hanc etiam filii causa assumpserunt: metuunt enim, ne quid in educatione rei acerbæ accidat, ne qua communis mala fortuna impendat, ne ue fortuitus aliquis casus aut morbum, aut febrim, aut periculum ei aliquod importet. Atque hæc quidem utriusque cõmunia: illa uero, quæ uxoris sunt propria, quis commemoret? ut præterea-mus ea, quæ in promptu sunt, atque omnibus notissi-ma, ueluti prægnantis molestias, pariendi periculum, edu-

educationis labores, & quãdã denique cordis ipsius præ amore filii quasi conuulsionem . Si uero complurium liberorum mater est , eius animus in totidem curas distrahitur , quot illi numero sunt ; tanquam , quæ illis accidant , ipsius uisceribus infixæ plane hæreant . Hæc autem , quæ perspecta omnes habent , quis oratione complectatur ? Sed quando illa ex diuino præcepto non est sui iuris , uerum ab eius uoluntate , in cuius arbitrio propter nuptias est , omnino pendet : si tempore est ab eo relicta , quasi capite a se conuulso solitudinem ferre non potest, & tanquam uitæ solitudinem, uiduitatemq; exiguam uiri separationem interpretatur : cõtinuo metus efficit, ut in nulla sit rerum expectatione meliorum. atque eam ob causam oculus eius plenus perturbationis, ac formidinis in ædium aditum, ostiumq; coniectus est : aures autem susurrations obloquentium obseruant : rerumq; terribilium metu percussum cor eius disrumpitur : ante uero, quàm rerum nouarum aliquid allatum sit, ostii uel solus concrepitis, siue factus, siue cogitatione comprehensus, quasi malarum rerum nunciis euestigio eius animum commouit : fortasseq; nihil absenti marito aduersi accidit, aut metu dignum : sed animi consternatione, nullo accepto nuncio, mentem a iucundis rebus ad contrarias conuertit . Hæc est felicium hominũ uita, ualde scilicet digna : non enim cum uirginali libertate comparatur . Atqui multa, quæ grauiora sunt, percurrens præterit oratio . Nam sæpe illa cum adolescētula est, atque in sponsæ splendore elucet, fortasseq; adhuc sponsi aduentu rubet, & pudens limis aspectat : quãdoquidẽ cū animi cupiditates pudore quodam comprimuntur, quo minus se se ostendant, ac rio res

acriores fieri contingit : tum de improviso uiduitas , ærumna , solitudo : quæ ue horribilia sunt, nomina sibi imponit : & ecce , quæ lauta modo erat , amictu candido , ornatuq; insigni , repente quæ incidit calamitas , eam pulla ueste , atroque habitu induit , dilaceratoq; sponsæ ornatu in luctum illam , & squalorem coniecit : deinde pro luce in nuptiali cubiculo caligo , & tenebræ , luctus , lamentabiles ploratus , atque odium in eos , qui dolorem lenire conantur : cibiq; abstinentia , corporis tabes , contractio , demissioq; animi , mortis cupiditas , quæ sæpe ad ipsam usque mortem perdurat . Sin autem aliquo modo fit , ut tempore mitigetur calamitas , rursus alia exoritur ærumna : siue liberos habet , siue caret . etenim si habet , orbi omnino sunt , propterea commiseratione digni , atque ex his ipsis doloris affectus renouatur : sin omnino caret , mortui memoria funditus tollitur ; grauiusq; est solatio malum . Reliqua , quæ sunt uiduitatis propria incommoda , omitto : quotus enim quisque est , qui omnia accurate enumeret ? ut inimicos domesticos , tum eos , qui in calamitatem incidunt , tum illos , qui ea solitudine gaudent , sensuq; quodam oculorum iniquo , & cum uoluptate labentem domum , seruosq; omnia negligentes aspiciunt , cunctasq; alias res aduersas , quas multas in iis quidem cernere licet : quarum causa non pauca mulieres , cum eas deridentium iniquitatem non ferrent , ex necessitate iterum se similibus malorum periculo obiecerunt , quasi malis suis pœnas petierint ab iis , a quibus dolorem acceperint . complures uero superiorum malorum recordatione quiduis sustinere , ac perpeti maluerunt , quàm in similes rursus calamitates incurrere . Sin autem commu

C nes

nes huius uitæ difficultates cognoscere cupis; uelim audias, quæ commemorent mulieres, quæ illud uitæ genus expertæ cognoscunt, quam beatissimas eas esse, quæ uirginalis uitæ rationem delegerunt, neque ex ulla calamitate, quid melius esset, didicerunt: quoniam ab omnibus his malis uacua est uirginitas: non orbitatem luget, non uiduitatem lamentatur, unaq; semper est cum incorrupto sponso, & fructibus pietatis perpetuo gaudet, ac domum uere propriam omni rerum optimarum genere continenter institutã uidet, propterea quòd harum ædium dominus una semper est, atque incolit, ubi non seiunctionem, sed coniunctionem cum eo, cuius desiderio tenetur, mors efficit: cum enim dissoluitur, inquit Apostolus, tum est cum Christo. Sed quoniam quæ ad lætos homines pertinent, sunt aliqua ex parte a nobis indagata; tempus iam est, ut hac oratione ceteras uitæ rationes persequamur, quæ paupertatibus, rebus aduersis, reliquisq; malorum humanorum sunt implicatæ pestibus: quales omnino sunt febres, morbi, & quæcunque id generis humanæ uitæ acciderunt: quorum omnium is periculum aut declinat, aut eorum calamitatem pulcherrime fert is, qui sibi uiuit, utpote cum omnis eius mētis cogitatio in ipso hæreat, neque alienarum rerum curis abstrahatur. Qui uero uxoris, ac liberorum cogitatione distinetur, propter rerum sibi carissimarum curam, quæ in alienis malis animum occupat, sæpe negotium quidem is habet, ut suis ipse doleat incommodis. Sed fortasse superuacaneum est hæc commemorare, quæ exploratissima sunt, etenim si tantus labor, tanta ue miseria cum iis coniuncta est, quæ in rebus optimis esse uidetur, quid aliquis

de

de rebus contrariis opinabitur? quandoquidem est ueritate inferior omnis illa sermonis explicatio, qua quis hanc uitam ob oculos omnium ponere conatur. attamen multas fortasse huius uitæ iniucunditates ex paucis demonstrari licet: quoniam quibus hoc uitæ genus contingit, si comparentur cum iis, qui beati esse uidentur, e rebus contrariis dolorem, ac mæstitias capiunt. nam his, qui gaudenti sunt animo, aut expectata, aut quæ iam instat mors perturbationem affert: illis uero calamitas est dilatio mortis: uitaq; eorum inter se contraria est, quasiq; interiecto diametro distat: utriusque tamen imbecillitas animi eodem termino commisceatur. Quamobrem multiplex, & uaria est copia malorum, quæ a nuptiis existunt. dolorem enim liberi nati æque important, ac non nati; & rursus tam uiui, quàm mortui. Hic enim liberorum multitudine gaudet, cum non satis habeat, unde alat: ille uero herede caret facultatum suarum, in quibus maxime elaborauit: atque unius quidem bona fortuna alterius calamitatem efficit, cum sibi uterque illud euenire uelit, quo alterum cruciari uidet. At huic mortuus est suauissimus puer: illi uero in uita est filius perditus: uterque sane commiseratione dignus: unus quidem filii mortem, alter uero uitam luget. Prætereo, quibus affectibus, & calamitatibus suspiciones, & rixæ, uel ex rebus ueris, uel e falsis cogitationibus exortæ, terminentur. quis enim omnia diligèter narrare posset? Tu uero si scire uis, ut his rebus uita sit hominum implicata: ne mihi repetas anti quas narrationes, quæ poetis fabularum argumenta præbuerunt, nam propter incredibilem quandam insulfitatem fabulæ illæ quidem putantur: in his enim libe-

C ii rorum

rorum cædes, ac uoracitates, fratrum trucidationes, uirorum neces, matrum interemptions, nefarii coitus, & uaria denique naturæ perturbatio, cuius commemorationem ii, qui uetera narrant, a nuptiis exordiuntur, huiusmodiq; calamitatibus narrationem ipsam concludunt. Verum, omnibus his prætermisissis, tu uelim in huius uitæ theatro tragoedias spectes, quarum omnino ministræ hominibus nuptiæ sunt. Veni ad iudicia: pertracta de his leges: inuenies in illis res de nuptiis nefarias. quemadmodum enim, cum medicos de uariis morbis differentes audieris, animaduertesq; quibus, quot ue morbis corpus humanum affici potest, illius miserias cognoscis: ita ex legibus, cum perspicias multa, & uaria, quæ in nuptiis scelera committuntur, quorum pœnæ legibus ipsis definiuntur, accurate intelligis, quæ sunt nuptiarum propria. neque enim aut medicus eos, qui non sunt, morbos curat: aut delicta ite, quæ non committuntur, leges puniunt. At uero quid huius uitæ absurditatē breui oratione perstringere nos oportet, qui adulteriis, dissidiis, diffensionibus, atque insidiis calamitatum enumerationem terminemus? ueriori enim ratione mihi omnis uitæ improbitas, quæ & cunctis in rebus, & in studiis cernitur, nullum in hominum uita imperium habere uidetur, nisi quis huiusmodi uitæ necessitatem sibi ipse imponat. Atque hoc quidem modo huius orationis ueritas nobis aperietur.

Quæcunque

Quæcunque in hac uita eueniunt absurda, initium ab nuptiis habent. Qualis item esse debeat is, qui huius se uitæ societate abduxerit.

III.

VI huius uitæ fraudes puro mentis sensu animaduertit, & altius a rebus, quæ hic expetuntur, se tollit, omniaq; , ut est apud Apostolum, quasi putida stercora despicit, atque ab omni uitæ consuetudine, repudiatis nuptiis, quodam modo se remouit, nullum omnino is habet cum ira, odio, gloriaq; cupiditate commercium, neque cum ceteris, quæ id generis sunt. qui enim ab omnibus his uacuus, atque omnino liber est, quieteq; uiuit, nihil sane est, in quo plus habere contendat, aut contra se, alicuius rei gratia, uicinorum inuidiam commoueat, cum nihil earum sit rerum affecutus, ex quibus in hac uita concitetur inuidia. nam qui ab omnibus humanis rebus animum suum superando abduxit, & uirtutem solam, quæ magno a se æstimetur, possessionem sibi statuit; hic ab omni certe dolore uacuum, quietam, atque otiosam uitam deget. uirtutis enim possessio, etsi omnis homo pro uirili quisque aliquam eius partem tenet, appetentium tamen cupiditates semper explet, non ut aliqua soli possessio, quam qui in partes diuidunt, quantum uni parti addunt, tantum de altera detrahunt; atque ita, quod uni redundat, id plane deest alteri, qui socius est: unde de maiori, cumulatoriq; parte contentiones existunt: ex eo enim, quòd imminutio facta est, conflatum est odium. uirtutis uero si quis maiorem

partem

partem occupauit, ab inuidia uacuum est. neque uero qui plus ab ea rapuit, ullum ei detrimentum importauit, qui æquas partes ferre dignum se esse ducit: sed, ut quisque capax est, ita & recta cupiditate expletur, & rebus iis, quas supra meminimus, non exhauriuntur uirtutum diuitiæ. itaque hanc uitam qui intuetur, atque in uirtute, quæ nulla hominum definitione describitur, omnes sibi thesauros constituit; an unquam ad res ullas humiles, & caducas animum suum procliuem ferri patietur? an terrenas diuitias, an hominum opes, & potentiam, an aliud quippiam eorum, quæ præ stultitia expetuntur, is admirabitur? etenim si quis ira humili est, & abiecto animo, ut ad hæc ipsa afficiatur; is utique est ab hoc cætu alienus, nihilq; ad nostrum sermonem. si autem cælestia cogitat, diuinamq; simul cum Deo contemplatur; ad sublimiores hic omnino res, relictis humilibus, contuetur; cum minime nuptiis uinctus sit, unde communis existit occasio, cur in eiusmodi rerum errore quis uersetur. nam cum quis uult se aliis præponere, grauissimus est hic superbiæ affectus: quem si quis semen, uel potius radicem dixerit omnis spinæ, quæ e peccato est, non recta is aberrabit. Hic sane affectus a nuptiarum causa initium maxime habet. non enim potest plerunque auarus huius uitii liberos accusare; neque item is, qui præ gloriæ auiditate insanit; neque qui honoris studio tenetur: ne huius mali causam ad progeniem ipsam referat, ut ne iis, qui ante se nati sunt, ipse inferior uideatur; & ut a posteris, aliquam de se commemorationem liberis suis relinquendo, magnus omnino existimetur. Eodemq; modo reliquæ, quæ sunt animi ægritudines, inuidia, odium,

dium, iniuriarum recordatio, & si quæ aliæ sunt, ab hac sane causa proficiscuntur. hæc enim omnia in his una insunt, qui hanc uitam attigerunt: a quibus quidem rebus qui remotissimus est, tanquam ex alta aliqua specula hominum perturbationes longe prospiciens, eorum dolet cæcitatem, qui rebus his fallacibus se se manciparunt, rerumq; humanarum prosperitatem magnum aliquid esse putarunt. Cum enim hic quempiã hominem rebus, quæ in uita eueniunt, secundis florentem, honoribusq; aut opibus, aut potentia ornatum uidet; eorum quidem, qui harum rerum studio efferuntur, ridet insaniam; humanæq; uitæ tempus, ut a psal morum auctore terminus eius certus dictus est, quam breuissimum numerat: deinde infinitis illis sæculis cum exiguo hoc uitæ spatio collatis, mollitiem eius luget, qui ad res huiusmodi sordidas, humiles, quæ ue ad tempus manent, animum extollit. quid enim causæ est, cur in iis ipsis rebus honos, quæ plerique expetunt, sit beatitudine dignus? quoniam quid iis, qui honore affecti sunt, addit honor? At qui ea condicione natus est, ut moriatur, mortalis hic manet, siue honos ei tribuatur, siue non. Aut, multa iugera terræ possedisse, ad quem optimum finem hoc perducit eos, qui ista possederunt? nisi quis demens arbitretur sua esse ea, quæ nullo pacto ad se pertinent. præ multa enim inexhausta auuiditate, ut uerissimile est, hoc ignoras, quod Domini est terra, & plenitudo eius. Rex enim omnis terræ Dominus. hominibus uero ut rerum, quas possident, domini appellentur, falso hoc illis tribuit auaritiæ affectus. Terra enim, inquit Ecclesiastes, in æternum stetit, omnibus ætatibus suppeditans, aliosq; subinde e se

opccatun D natos

natos nutriens. Neque uero homines sui potestatem habent, sed ex uoluntate, nutuq; summi rectoris pendunt. cum enim nesciunt, in hanc uitam ingrediuntur: cum autem minime uolunt, ex eadem rursus exeunt: cumq; ad tempus sint in hanc lucem editi, præ nimia stultitia arbitrantur, se illius quasi perpetuo manentis potestatem habere. Ergo qui hæc mente intuetur, hacq; de causa pro nihilo ea putat, quæ hominum uulgius in pretio, atque in honore habet, qui ue cælestis uitæ solum amore ducitur, fenumq; esse omnem carnem, quasiq; feni florem omnem hominis gloriam uidet; studio ne dignum fenum unquam putabit, quod hodie est, cras non futurum? qui enim diuina recte contempletur, hic animaduertit non solum res humanas nihil firmi, solidiq; habere; sed, quasi neque uniuersus hic mundus in perpetuum sit futurus, propterea uitam hæc quasi alienam, eamq; caducam negligit: quoniam, ut uoce Domini significatum est, cæli & terra transibunt, cunctaq; formæ commutationem necessario expectant. Quamobrem quàm diu aliquis, inquit Apostolus, in hoc habitaculo est, mortalitatem præseferens, hacq; uita grauatus prorogari sibi hunc incolatum dolet, ut in diuinis cantibus Psalmistes cecinit. uere enim in tenebris uiuent ii, qui in his tabernaculis uitam degent. itaque huius incolatus prorogationem Propheta his uerbis luget: Væ mihi, quoniam incolatus meus prolongatus est. Tenebris porro domicilii, & incolatus huius causam tribuit. Hebræorum enim uoce Cedar tenebras appellari a sapientibus didicimus: aut id quidem non uere. ut enim quædam noctis caligo mortalibus offunditur: sic hi ad erroris cognitionem

obcæcantur,

obcæcantur, utpote cum minime uideant, quæ in hac uita summa magnificaq; existimata sunt, quæ ue in contrariis sunt rebus habita, omnia hæc solum infana quadam hominum opinione talia extitisse: ea uero per se nihil omnino sunt: nulla ignobilitas, nullum illustre genus, nulla gloria, nullus splendor, nullæ de maioribus cõmemorationes, nulla rerum præsentiu animi elatio: nihilq; est in aliis dominari, nihilq; alioru imperio teneri: nõ diuitiæ, nõ paupertas, nõ egestas, nullæ denique huius uitæ inæquabiles uarietates, quæ imperitis quidem hominibus, cum hi uoluptatem suis sensibus metiantur, multum eminere uidentur. At uero qui magno, altoq; est animo, omnia hæc paria esse, neque re unam alteri præstare putat: quoniam ex rebus inter se contrariis uitæ cursus æque conficitur: æqualisq; in utraque uitæ condicione & bene, & male uiuendi inest facultas, tam ex rebus dextris, inquit Apostolus, quàm sinistris, & æque ex gloria, atque ex aliqua ignominia: in quibus quidem rebus is, qui pura mente fuit, & incorrupta, rerum ueritatem intuitus est, ab ortu usque ad obitum præfinitum sibi tẽpus percurrẽdo, recta hunc ipsum uitæ cursum conficit; cum neque uoluptatum blanditiis molliatur, neque rebus grauibus debilitetur, ac deprimatur; sed uiatorum more longius progressus, paruam earum rerum, quæ se illis ostendunt, rationem habet. illud enim in cõsuetudine eorum est, qui peregrinantur, ut siue pratis, siue cultis agris, siue uastis, desertisq; locis iter faciãt; neque rei ullius oblectatione, neque re aliqua molesta impediti, itineris cursum conficere maturent: pariq; rationẽ hic nec diuerticula, neque uiarum flexiones respiciendo, ad illud,

D quod

quod sibi maxime propositum est, omnino perueniet, sed in cælum solum contuendo, hunc uitæ cursum, tanquam aliquis optimus gubernator, conficiet, qui cæleste aliquod sidus intuendo ad id nauis cursum dirigit. Ille uero, cui obtusior est mentis acies, inferiora respicit, & ad corporis uoluptates, tanquam ad pabulum pecudes, animum adiecit: uentriq; soli; ceterisq; uentris uitium consequentibus rebus deditus uiuit: qui ue a uita diuina auersus, & a testamentorum promissis alienus, nihil aliud in bonis esse putat, nisi cum quis in corporis uoluptate est; hic profecto, & omnis homo, qui hoc numero est, in tenebris, ut diuinis litteris scriptum est, ambulat, cum in uitam huiusmodi mala introducat. in his enim auaritia, animi impotentia, immodica ad uoluptates affectio, imperii cupiditas, gloriæ appetitio, ac reliqua inest earum, quæ sunt hominum contubernales, perturbationum multitudo. ex his enim morbis alter quodam modo alterius uinculo tenetur; & cui unus ex his accedit, reliqui quasi naturali quadam necessitate compulsi, ad eum concurrunt. id quod in catena fieri uidemus. eius enim principio attracto, neque reliqui illius orbis consistere possunt, sed ultimus cathenæ orbis cum primo simul motus est, cum ex eorum perpetuo ordine, qui simul annexi sunt circuli, a primo motio ipsa progrediatur. ita humani affectus impliciti inter se, atque connexi sunt: sæpeq; fit, ut, cum unus imperauerit, reliqua item morborum turba animum inuadat. Atque si hæc quidem ipsa quasi malorum cathena tibi explicetur necesse est, fac esse quempiam, qui præ uoluptate quadam fit inanis gloriæ affectu superatus: est huic sane inanis gloriæ

riæ cupiditati adiuncta etiam appetitio quædã, ut plus
 is assequatur : quoniam non potest quis plus habendi
 cupiditate teneri, nisi huius affectus dux, & comes quæ-
 dam sit gloriæ auiditas. deinde appetitio hæc, qua quis
 afficitur, ut & opum, & dignitatis amplitudine cete-
 ris ipse antestet, uel in æquales concitat iram, uel super-
 biam in inferiores, uel in superiores inuidiam : cuius
 focia est similtas : huius uero comes acerbitas, quam
 odium quoddam hominum consequitur : at horum
 omnium postremum est damnatio in geennam, tene-
 bræ, atque ignis sempiternus. Vides horum omnium
 malorum quasi uiam, quemadmodũ uidelicet ab uno
 uoluptatis affectu cuncta proficiscuntur : inanis enim
 gloriæ causa, & principium a uoluptate existit. Quam-
 obrem ubi huiusmodi malorum coniuncta multitudo
 in hanc uitam semel se se coniecit, una est, ut ab his libe-
 remur, ratio, quam in diuinis litteris contemlemur :
 ea autẽ est, ut ab illa uitæ disciplina nos auocemus, quæ
 rebus grauibusest, atque molestis adstricta. neque enim,
 cui Sodomã incolere cordi est, ignis imbrem declinare
 hic potest : neque ab Aegyptiorum seruitute se quis uin-
 dicabit, nisi Aegyptum, id est hanc summerfam ui-
 tam deserit ; & non rubrum illud, sed nigrum hoc, &
 obscurum uitæ mare transit : sin autem non liberauerit
 nos, inquit Dominus, ueritas, in malo seruitu-
 tis permanemus. quo modo potest, qui falsum quærit,
 qui ue in huius uitæ erroribus est, in ueritate uersari ?
 quo ue pacto quis hoc iugum seruitutis deiecerit, qui
 uitam suam, quasi seruam, in naturæ necessitates conii-
 cit ? Sed notior quidẽ nobis, proposito aliquo exẽplo,
 erit de his plaue oratio. Quemadmodũ amnis aliquis,

D ii qui

qui sua natura fatis profluēs, incitatis aquarū profluxio-
nibus rapidior fertur, ligna q̄; & lapides, & omnia, quæ
sibi obuiā fiunt, in alueū rapit; calamitatē hic & periculū
iis importat, qui prope incolunt, illis uero frustra deflu-
it, qui longe remoti eum uitant: ita, qui sibi huius uitæ
perturbationem peperit, eam solus sustinet, & solus
eos sua sponte recipit affectus, in quos natura, quæ suo
quodam cursu fertur, cum his uitæ malis circumfluat,
illos impellit, qui eius cursum tenent. sed si quis, ut est
in sacris litteris, torrentem hunc, intolerabilem q̄; a-
quam relinquit; hic plane liber erit, ut in psalmo se-
quitur, a captione dentium huius uitæ, ueluti passer,
qui uirtutis alis e laqueis euolauit. quoniam igitur, ut
illo ipso torrentis exemplo patet, uariis perturbationi-
bus inæquabilibus q̄; rerum uarietatibus referta morta-
lium uita, ad naturæ delirationē effusa semper fertur, ni-
hil q̄; quod in ea expetatur, proposuit, neque expectat,
dum ii, qui cupiditate aliqua tenentur, satietate exple-
antur; cum q̄; omnia, quæ impetu quodam feruntur,
prope simul accesserint, & quæ attingunt, cursum con-
fecerint; quodque semper præsens adest, fluxu quodā
clandestino ex oculis ereptum, cum sensum nostrum
celeri transitu effugiat: propterea utile sane esset, extra
hunc uitæ fluctum longe se tenere, ut ne rebus his cadu-
cis nos impediti, ea, quæ sempiterna sunt, omnino de-
spiciamus. quo enim modo potest his uitæ rebus addi-
ctus, assidue id habere, quod in rebus, quæ maxime
expetuntur, optabile est ut perpetuo maneat? quod a-
dultæ ætatis robur? quæ uirium aut formæ integritas,
quæ opes, quæ gloria, quæ potentia? num omnia hæc
uel exiguo tempore, cum floruerint, rursus diffluunt?
atque

atque in contrariam nominis appellationem defluxa conciderunt? quis omni tempore in adolescentia? cui perpetuo suppeditarunt uires? an non pulchritudinis florem citius uel illis ipsis floribus, qui se primo uere ostendunt, interiturum natura effecit? quæ sane tempore suo natura conseuit, cum ea breui tempore floruerint, rursus surgunt, rursus diffluunt, rursus frondescent. atque hanc quidem pulchritudinis speciem adulta in ætate natura ostendit: quam uero hominum pulchritudinem in adolescentia, quasi primo uere, plane demonstrauit, senectutis postea hyeme extinxit. eodemq; modo reliqua omnia, quæ ad quoddam tempus carnis sensum deceperunt, postea quam cursum ea per fecerunt, obliuione simul occultata sunt. Quoniam igitur eiusmodi commutationes, quæ quadam naturæ necessitate eueniunt, dolore illum afficiunt, qui in affectione uersatur: una certe est horum malorum declinatio; ut ne ullis rebus, quæ animum concitent, se se adiungat, sed, quantum fieri potest, se ab omni uitæ consuetudine auocet, quæ ad uitiosam disciplinam, carniq; deditam adducat, uel potius ab ea conuenientia, cõiunctioneq; naturæ se remoueat, qua suo quisque corpori astrictus tenetur; ut ne uita, quæ e carne est, sit carnis obnoxia calamitatibus. hoc autem est, soli animæ uiuere, ut quis, quantum in se est, institutum imitetur illarum potestatum, quæ corporis expertes sunt. illæ enim neque nubunt, neque nubentur: sed hoc est ipsis propositum munus, studium, atque perfectum officium, ut incorruptæ integritatis patrè contèplentur, atque, quantum imitatione assequi possunt, ad ipsius pulchritudinis exèplar cõtuendo suã ipsi ornent formã.

Animi

Animi integritatem, eiusq; ab omnibus affectibus uacuitatem corporis munditiæ anteire oportet.

V.

VIVS igitur mentis, summæq; cupiditatis adiutorium, ut in diuinis litteris appellari solet, homini uirginitatem tributam esse diximus. ut enim reliquorum studiorum artes quædam ad illorum, qui earum studio tenentur, perfectam disciplinam inuentæ sunt: sic uirginitatis studium mihi ars quædam, & facultas diuiniore uitæ uidetur esse, quæ doceat, quemadmodum ii, qui his corporis uinculis adstricti tenentur, earum rerum, quæ corpore carent, naturæ similes efficiantur. uitæ enim huius omne studium, atque institutum illud est, ut ne uoluptatum impetu animi deprimatur altitudo; ne ue nos, qui cælestia contèplari, qui ue ad diuina animo contueri debemus, ad corporis affectiones delapsi cadamus. quo enim modo animus noster, qui inferiori huic carnis uoluptati mancipatus est, atque in humanorum affectuum appetitionem totus incumbit, potest cognatum illud lumen, quod ue mente ipsa cernitur, uacuo, & libero sensu aspiciere, cum is praua quadam, atque inerudita anticipatione ad humiles has res, & lutulentas aciem intendat? nam ut porcorum oculi natura in terram conuersi, mirificarum rerum cælestium aspectum non habent: sic animus, corporis luxu perditus, cum ad humilia, & ad ea, quæ sunt pecudum, inclinatus sit, non cælum amplius, neque reliquarum rerum conuenientiam, & decorem cernere poterit. Quare ut ad uoluptatem diuinam illam quidem, & beatam animus noster

noſter quietus, ac liber maxime respiciat, ad nullas omnino res caducas, & terrenas se ipſe conuertet, neque earum uoluptatum particeps fiet, quæ ad communis uitæ indulgentiam comparatæ ſunt, ſed omnem potius amoris uim a rebus corporeis ad eam traducet pulchritudinis contemplationem, quæ & corporis expertus eſt, & mente cernitur. Atque ad hanc quidem animi affectionem, ſtudiumq; eſt corporis inuenta uirginitas, ut, cum affectionum, quæ a natura tributæ uidentur, obliuionem animo maxime attulerit, in pura diuinæ, ſempiternæq; uoluptatis conſuetudine uerſetur: quam cor ſolum, pura eius, qui nos regit, animi integritate adhibita, capere ſolet. Beati enim mundo corde, inquit, quoniam ipſi Deum uidebunt.

Elias, & Ioannes diligentem harum rerum curam adhibuerunt. VI.

OB eam cauſam magnus in prophetis mihi uideatur Elias, & is, qui poſtea in ſpiritu & uirtute Eliæ in uitam uenit: quo ſane in natis mulierum nemo maior exortus eſt. Quæ porro de his ipſis narratur hiſtoria, etſi quid aliud obſcure, illud tamen maxime indicat, quòd uitæ rationem docet, ut, qui ſcilicet contemplandis rebus, quæ minime ſub aſpectum cadunt, ſe dedit, hic ab humanæ uitæ conſuetudine alienus fiat; ne huiuſmodi fraudibus, quæ ſenſibus concipiuntur, addiſtus, perturbatione, atque mentis errore in illius iudicio afficiatur, quod re uera bonum eſt. Hi ambo ab adoleſcentia ſe ſe ſtatim ab humanæ uitæ ſocietate remouerunt. cum enim potionis,

atque

atque cibi, qui ceteris ad uitæ sustentationem est datus, despicientia, tum uita, quam in solitudine egerunt, se quasi a naturæ alienarunt instituto; ut uel aures obstruas, neque in sublimi loco positas haberēt; oculorumq; obtutu, & gustatu simplici essent, & ad nullam rem parato; nimirum cum necessitatem uictus ex quibusuis rebus, quæ utrique obuiam fierent, sane explerēt. quam obrem ab externis perturbationibus remoti, in summa uitæ tranquillitate atque otio sese cōstituerunt: indeq; ad tātam diuinorum munerum altitudinem elati sunt, quantam hæc de utroque commemorat oratio. Elias enim, quasi Dei munerum quæstor aliquis, cum ex potestate quadam cæli administrationem haberet, illius & peccatoribus obstruendi, & iis, qui pænitentiam agēdo respiscerent, aperiendi potestatem habuit. Ioannem uero tale aliquid miraculum fecisse, nihil diuinis est litteris proditum: at is, qui res occultas perspicit, testatum reliquit, maius illi munus esse tributū, quàm ceteris omnibus prophetis. Hæc fortasse his duobus contigerunt, quoniam puram, omnisq; materialis expertem affectionis suam in Deo cupiditatē posuerunt, neque liberorum amoribus, neque coniugum curis, neque ceteris ullis rebus humanis intenti, ne quotidiana ni quidem, ac necessarij uictus curam ad se pertinere censuerunt: uestiumq; asperitate quadam graui meliores cum se ostendissent, a quibusuis, qui sibi occurrerent, res necessarias ex tempore petebant. unus enim quidem caprinis pellibus, alter pilis cameli amictus erat. neque profecto, ut arbitror, ad eam magnitudinem peruenissent, si nuptiæ eos corporis oblectamentis delinitos molliuissent. Hæc porro nō sine causa, sed,

ut est

ut est apud Apostolum, ad nostram sane doctrinam scripta sunt, nempe ut ad illorum uitæ institutum nos item uitam nostram dirigamus. Ergo quid ex his documenti percipimus? id sane, ut, proposito sanctorum uiro- rum exemplo, iis rebus, quæ ad hanc uitam pertinent, animum ne adiiciat is, qui se cum Deo iunctum esse studet. fieri enim non potest, ut, cuius animus multarum rerum curis distrahitur, is in Dei contemplationem, cupiditatemq; plane totus incumbat.

Qui multis rerum curis distinetur, fieri non potest, ut hic animo sit perfectio. VII.

IHI sane uidetur, quod de his præceptum
M est, exemplo illustrius fieri posse. Ponamus igitur, aquam, quæ a fonte aliquo manat, in diuersas fluxiones, ac riuos, ut sit, dispergi, atque dissipari: quàm diu certe ita fertur, ad nullas eas res, quæ agriculturæ expediant, erit accommodata: cum illius aquæ in multas partes dissipatio exiguum id efficiat, quod in singulis partibus tenue est, uixq; præ tenuitate mouetur. si autem quis omnes eius disperfos riuos colligat, quod ne passim dissipatum est, in unum alueum concludat; ad multas uitæ commoditates, & eas quidem necessarias uberiore uteretur aqua, quæ in unum sit locum deriuata. Ita hominum mens, si passim diffunditur, eoq; potissimum, quò sensuum illecebris rapitur, perpetuo diffluit, ac dissipatur, nullam plane mihi magnam uim habere uidetur ad eum cursum, qui ad uerū bonum pertinet: sed si undique se se collegerit, atque in se receperit, totaq; ad eam, quæ sibi propria est, ac

E naturalis

naturalis muneris functionem impellatur; nihil quidē impedimento erit, quo minus ad superiora feratur, atque rerum, quæ uere sunt, ueritatem attingat. ut enim magna aquæ uis aquæductibus obiecta, & conclusa, sæpe, cum uis illa erumpat, in sublime fertur, quoniam non habet, quâ diffundatur, idque cum motus eius naturalis ille sit, ut deorsum feratur: sic humana mens, quasi angusto quodam aquæductu, cum undique continētia ipsa comprimatur, neque habeat, unde erumpat, agitatione ipsa naturali ad rerum cælestium quodā modo excitabitur appetitionem. nam neque animus, qui perenni agitatione mouetur, consistere potest, cum ab eo, qui illum effecit, huiusmodi motus naturam fortitus sit: neque, si prohibetur, quo minus ad res inanes eo motu utatur, dubium est, quin, cum undique a rebus absurdis repellatur, ad ueritatem recta omnino contendant. in multis enim itineribus uiatores maxime uidemus recta uia non aberrare, cum reliquorum itinerum errore ante instructi, omnino caueant, ne aberrent. ueluti is, qui in itinere faciendo cum se ab incertis, transuersisq; semitis se abduxerit, magis in recta se uia conseruabit: ita animus noster, a rebus inanibus auersus, in rebus, quæ sunt, ueritatem plane agnoscet. itaque de summis illis prophetis commemoratio nos ad hoc erudire uidetur, ut iis rebus, quæ in hac uita expuntur, ne implicemur: in quarum rerum numero sunt nuptiæ, quæ studiorum inanium semen potius est, atque principium.

Matrimonium

Matrimonium neque detestandum est, neque improbandum: quoniam Dei consilio, providentiâq; est hominibus datum. VIII.

EMO uero ex iis, quæ diximus, in opinionem ueniat, nos matrimonii improbare institutionem: non enim ignari sumus, neque illud a benedictione Dei fuisse alienum: sed quoniam hoc ipsum satis accurate defendit cõmunis hominum natura, quæ sua sponte ad huiusmodi res uim inferit iis, qui matrimonii uia quasita ad liberorum procreationem accedunt; naturæ enim quodam modo resistit uirginitas; superuacaneum utique esset, admonitiones, atque hortationes de matrimonio diligenter cõscribere: cum uoluptas ipsa ostendat, se acerrimum illius patrociniũ fuscipere: nisi fortasse tamen his sermonibus opus esset propter eos, qui Ecclesiæ præcepta, atque instituta corumpunt: quos cauteriatam suam conscientiam habentes uocat Apostolus: propterea quòd, spiritum ducem relinquendo, dæmoniorum doctrinis cicatrices quasdam, atque inuisiones cordibus suis imprimunt, præcepta Dei detestantes, quasi impura illa sint, ad malumq; trahant, atque in causa sint malorum. Hæc, atque alia eiusmodi dicunt. at quid ad me extraneos iudicare, inquit Apostolus? Extranei enim, & alieni re uera sunt illi a sede domicilioq;, in quo mysteriorum sermo positus est, qui non in Dei præsidio, sed in spelunca Diaboli ad eius uoluntatem commorantur, proptereaq; non intelligunt, cum uirtus omnis in mediocritate cõsistat, id, quod in contrarias partes conuertitur, esse uitium. qui enim in omnibus rebus & eius, quod parum, &

E ii illius.

illius, quod nimium est, mediocritatem capit; hic uirtutum a uirtute distinxit. Quæstio hæc illustrior erit, si rebus ipsis demonstretur. Metus, & audacia, duo e regione posita uitia putantur. hic quidem, quoniam confidentiæ modum deserit, illa, quia superat, mediocritatem continent, quæ in fortitudine cernitur. Rursus, qui pietatem colit, is neque impius est, neque superstiosus. in utroque enim æque inest impietas: alter, quia Deum negat: alter, quoniam multos esse opinatur. Visne hoc ipsum ex aliis cognoscere? Qui in auaris, ac prodigis esse recusat, contrariis inter se affectibus remotis, liberalitatem habitu quodam recte coluit. liberalitas enim in eo elucet, ut ne quis in sumptus immoderatos, minimeq; utiles temere profuseq; eroget, ne ue in rebus necessariis parcus sit ac remissus. Atque ita in ceteris omnibus, ne singula nos persequamur, rerum inter se pugnantium mediocritatem in uirtute positam esse ratio definiuit. itaque temperantia item mediocritas est, atque in utraque parte conuersiones ad uitium habet perspicuas. qui enim animi firmitate deseritur, uoluptatisq; affectu facile uincitur, eamq; ob causam ad incorruptæ, temperatæq; uitæ uiam prope non accessit, in ignominiosas hic affectiones delapsus incidit. qui uero temperantiæ fines transit, & a uirtutis mediocritate recedit, hic conscientiam suam, inquit Apostolus, cauteriatâ habens, in aliquas demoniorum doctrinæ salebras compulsus incurrit. Nam quòd matrimonium de testabile esse statuit, matrimonium ipsum uituperando, se ipse conscindit. si enim arbor mala, ut est quodam loco in Euangelio, fructus eius item est arbore plane dignus. matrimonii quasi alicuius plantæ germen est,

est, atque fructus homo: quæ igitur ipse in matrimonium conuicia coniicit, in eum illa ipsa recidunt. At illi quidem, qui conscientiam notis iniustam habent, atque ex sententiæ absurditate sunt cicatrice quadam affecti, eiusmodi rebus conuincuntur. Nos uero de matrimonio ita sentimus; oportere nos rerum diuinarum studium, curamq; huic matrimonii officio anteferre; neque tamen eum despiciere, qui temperatè illo, ac moderate uti potest: qualis patriarcha Isaac fuit, qui non florente ætate, ut affectioni coniugium seruiret, sed exhausta iam adolescentia, ob Dei in femine benedictionem, Rebeccam in matrimonium duxit: cui cum usque ad partum operam dedisset, rursus in rebus, quæ oculis non cernuntur, totus fuit, clausis corporis sensibus. id enim significare mihi uidetur historia, quæ grauem illius patriarchæ oculorum obtutum commemorat. Atque hæc quidem ita se habeant, quemadmodum iis ita se habere uidentur, qui eiusmodi res contemnere plane sciunt. nos uero, quæ ad orationis perpetuitatem pertinent, persequamur. Quid ergo illud est, quod dicitur? si licuerit, neque a diuina uoluntate discedat, neque nuptias fugiat. quæ porro naturæ institutionem aspernetur, criminetur ue id, cui honos attribui solet, nulla est oratio. nam ut in eo, quod a nobis expositum est, aquæ exemplo patet: cum in regionem aliquam agricola canalibus aquam deriuat; in medioq; cursu contingit, ut exiguo riuulo opus sit: tantum ille aquæ diffluere concedet, quantum usus ille moderate exigere uidetur. rursusq; paratus est, ut id cum reliquo iterum aquæ cursu commisceatur. sin autem, aquæ nihil reseruando, aditum illi incaute aperiet; pei-

periculum erit, ne tota aquæ uis, rectum cursum resin-
quendo, paludibus ex transuerso omnia occupet. Pa-
ri ratione, quoniam in uita opus est mutua successio-
ne, si quis hoc, quod iam contractum est, matrimo-
nio ita utetur, ut, rebus spiritualibus propositis, tenui ad
eiusmodi res ac remissa cupiditate usus sit propter tem-
poris breuitatem, hic temperans est, ex Apostoli præ-
cepto, agricola, qui se ipsum sapientiæ præceptis ex-
colit; nec in retribuendis illis frigidis debitis sordide
semper, abiecteq; occupatus est; sed ex conuenientiâ
quadam munditiem animi in orationum studio consti-
tuit. timet enim, ne ex hac affectione ratio efficiatur ca-
ro, & sanguis, in quibus non permanet spiritus Dei.
Qui uero ita infirmus est, ut naturæ onus sustinere ne-
queat; ualidior utique sit, si longe se potius ab his re-
bus contineat, cum in certamen uiribus suis maius de-
scendat. periculum enim non leue est, ne hic uolupta-
tum usu, quasi esca, deceptus, nihil aliud in bonis esse
putet, quàm illud, quod cum suauitate quadam carnis
percipietur sensibus; ne ue, cum a rerum corpore ua-
cantium cupiditate suam mentem plane auerterit, in re-
bus sane corporeis totus omnino sit; rerumq; harum
uoluptatem omni tempore indaget; quasi potius uolu-
ptatis sit, quàm Dei amator. Et quoniam, præ naturæ
imbecillitate, non cuiusuis hominis est, harum rerum
moderationem assequi; periculosumq; est, qui extra
modum positi sunt, ne hi, ut est in psalmorum aucto-
re, in materiam profundi impingantur: illud maxime
expedit, huiusmodi uitæ genus, uti hæc oratio mo-
net, minus experiri; ne rerum, quæ permissæ sunt excu-
satione adhibita, animi affectionibus aditus patefiat.

In

In omni re non facile commutari potest consuetudo.

IX.

N omni re difficilis est, quæ expugnetur, consuetudo: quoniam cum multâ ad attrahendum in se animum, afficiendumq; uim obtineat, tum in eo ualet, ut aliquam honesti opinionem afferat. nam si quis ex consuetudine, usuq; habitum, & aliquâ animi affectionem sibi comparauit; nihil uel ipsa natura sic fugiendum est, tanquam assiduo usu comparatum, quod non omni studio dignum, expetendumq; putet; huiusq; sententiæ testis est hominum uita, in qua cum infinitæ existant nationes, non omnes tamen uno, eodemq; studio ducuntur; sed apud diuersas, ex earum cuiusque cōsuetudine, quæ studium in aliqua re, & cupiditatem gignit, res in honore, atque pretio sunt: neque apud diuersas solum nationes, eiusmodi horum studiorum uariam commutationem cernere licet; ut apud quasdam gentes in pretio illa sint, apud alias improbêtur; sed in eadem natione, eademq; ciuitate, & familia hanc, quæ e singulorum consuetudine nascitur, dissimilitudinem plane cognoscere possumus. Eodemq; modo sæpe germani fratres diuersis uitæ studiis ex usu consuetudineq; affecti sunt. neque hoc sane mirabile est: quoniam singuli homines non. sæpe idê de una, eademq; re sentiunt, sed ita, ut quisque est consuetudine affectus. Et ne, quæ a re ipsa ualde remota sunt, commemoremus; multos nos quidem amatores cognouimus, qui ab ineûte prope ætate se omnis temperantiæ maxime studiosos ostenderunt: impuræ uero uitæ initium quoddam fecerunt, quod iustum, ac per-

permiffum uidetur effe uoluptatum confortium : poft-
 ea uero quàm hoc femel experti funt , omnem , ut in al-
 uei nos exemplo diximus , appetitionis uim cum ad
 hæc ipfa conuerterint , & a rebus diuinis ad humiles , ca-
 ducasq; mentem , & cupiditatem traduxerint , ita ual-
 de fibi patentem ad animi affectiones aditum aperue-
 runt , ut cæleftia petere omnino defierint ; pæneq; illarū
 ardore arefacti funt , cum omnis eò confluat appetitio .
 Quamobrem iis , qui in uirginali studio minus firmi
 funt , conducere hoc arbitramur , ut ad tutiffimum ali-
 quod præfidium confugiant ; neque ad huius uitæ con-
 fuetudinem descendentes , contra fe tentationes prouo-
 cent ; neque ut propter hos carnis affectus , illis fe ma-
 xime rebus implicent , quæ summopere mentis noftræ
 repugnant rationi ; periclitenturq; non de prædii fi-
 nibus , non de pecuniarum iactura , non de ullis deni-
 que ceteris rebus , quæ in hac uita expetuntur , fed
 de ea fpe , quæ præluceat . non enim qui ad res huma-
 nas mente , animoq; fe conuertit , atque omnem il-
 luc curam reiicit , animumq; fuum in eo occupat , ut
 hominibus placeat , is potefl primum illud , & maximū
 Dei præceptum explere , quo monemur , ut toto cor-
 de , totis uiribus Deum diligamus . quo enim pacto
 fiet , ut toto quis animo Deum diligat ; cum fuum hic
 animum modo in Deum , modo in res humanas impel-
 lat ? debitamq; illi foli pietatem , ac beneuolentiã quo-
 dam modo eripiens , in humanis affectibus exhauriat ?
 matrimonium enim ea , quæ Dei funt , curat : qui
 uero matrimonio uinctus efl , in his , quæ & mundi , &
 hominum funt , curam , studiumq; adhibet . fin autem
 laboriofa contra uoluptates , ac difficilis uidetur pugna :
fidenti

fidenti animo quisque fit, & forti. non enim parum in eo consuetudo ualeat, ut uel iis, qui se maxime difficiles ostendunt, uoluptatem quandam, eamq; honestissimam, & maxime puram ex aliqua perseuerantia pariat. cuius quidem uoluptatis amore is, qui mente præditus est, potius est detinendus, quàm a rebus uere magnis, quæ ue omnem mentē excedunt, alienandus ex dimissione quadam animi, quæ in rebus humilibus cernitur.

Quid re uera expetendum. X.

Q VANTA enim iactura fiat, cum quis a ueri honesti possessione cadit, quæ orationis uis hoc explicaret? quanta ue mentis esset adhibenda præstantia? quo enim modo quis id explicando assequeretur, quod neque oratione exprimi, neque mente comprehendi potest? nam si quis ita mentis acie purgauerit, ut aliquo pacto intueri possit, quod in beatitudinibus factum est nobis a Deo promissum; is omnem hominum uocem reprehendet, quasi nullam uim habeat ad rei intellectæ explanationem. si quis autem corporis ira est irretitus affectibus, ut mentis suæ acies affectione mala, quasi lippitudine quadam obscurata sit; inanis huic est, & minime fructuosa omnis uis, & orationis copia. quoniam res admirabiles orationis ui et imminuere & amplificare, hoc in earum rerum similitudine constitutum est, quæ sensu non percipiuntur. ut in solis radiis, inanis est, atque minime utilis de his sermonis explicatio ei, qui lumen ab ortu non aspexit, quoniam luminis radios auribus percipere non

F potest

potest : ita in uero lumine , quod mente cernitur , suis
 cuique oculis opus est , ut illam pulchritudinē aspiciat ,
 quam qui munere Dei , ac prouidentia cernit , incredi-
 bili mentis stupore tenetur in eo , quod exprimi non
 potest : qui uero non aspexit , is neque earum rerum
 damnum sentiet , quibus orbatus est . quo modo enim
 illi quispiam bonum exponeret , quod ab eius sensu re-
 fugit ? qua ratione rem ob oculos poneret , quæ sub a-
 spectum non cadit ? non propria uerba , quæ illius pul-
 chritudinis speciem significarent , nos didicimus : non
 ullam eius , de quo quæritur , extat exemplum : compa-
 ratione uero aliqua hoc ipsum illustrari difficile sane est .
 quis enim paruæ scintillulæ solem comparat ? aut par-
 uam stillam cum immensa aquarum uoragine confert ?
 nullam enim comparationem habet neque cum uora-
 gine gutta , neque cum solis radiis minima scintilla .
 Eodem modo se habent omnia , quæcunque homines
 tanquam pulchra admirantur , comparatione facta cum
 eo , quod omne pulchrum atque bonum excedit . itaque
 quæ mentis uis est , ut ei , qui hoc damno afficitur , il-
 lud ipsum demonstraret ? Recte mihi quidem hanc dif-
 ficultatem summus ille David demonstrasse uidetur ,
 qui , spiritus ui , aliquando mente elatus , quasiq; ex-
 tra se positus , cumq; in beata illa mentis elatione esset ,
 pulchritudinem illam difficilem , quæ non mente com-
 prehenditur , ipse uidit , atque ita omnino uidit , quasi
 hoc ipsum homini contingere possit . is igitur carnis in-
 uolucris exutus , sola mente , animoq; cum ad rerum ,
 quæ corpore uacant , menteq; solum intelliguntur , con-
 templationem se conferret ; quoniam aliquid dicere cu-
 pierat eo dignum , quod a se conspectum erat , eiusmodi
 uerbum

uerbum protulit, quod uulgo dici solet: Omnis homo mendax: hoc est, ut mea fert opinio, homo omnis, qui ineffabilis luminis interpretationem sermone peruertit, hic est re uera falsus, non quia ueritatem odit, sed quoniam ad eius quod mente comprehenditur, explanationem infirmus est. pulchritudinem enim, quæ sensibus percipitur, quæ ue in terris in nostra hac uita cernitur, siue illa sit in rebus inanimis, siue in corporibus animatis, bono aliquo colore excogitata, uis sensuum nostrorum per se satis est, ut illam nos aspiciamus, admiremur, demonstremus aliis, ac sermone, quasi in tabella quadam sit huius pulchritudinis expressa species, notam illam ceteris faciamus. neque enim eius exemplar intelligentiam fugit. Quo modo fiet, ut ob oculos rem ponat oratio, quæ nullam describendi artem comperit, non dicendi colorem, non figuram, non magnitudinē, nō integritatem formæ, neque ullas plane id generis nugas habet? quod enim omni ex parte obscurum est, neque ulla forma expressum; quod ue omni magnitudine alienum, longeq; ab his omnibus positum est, quæ corporis sensibus cernuntur; id quomodo aliquis cognitum ex iis rebus haberet, quæ solo sensu comprehenduntur? non propterea tamen huius cognitionis, cupiditatisq; nos spem deponere debemus, quoniã altior ea apparet, quam ut mēte cōprehendi possit: sed, quo maius est id, quod quæritur, eo altius animo menteq; efferrī, rei q; ipsius magnitudine magis, atque magis nos excitari oportet, ut ne ab ipsius boni societate alieni nos plane efficiamur. periculū enim nō paruum est, ne, cum nullius rei cognitione, huius intelligentiam capi posse affirmauerimus, propter magnam

F ii quandam,

quandam, & inexplicabilem magnitudinem nos eius omnino cognitionem amittamus. itaque, propter hanc ipsam imbecillitatem, ex rebus sensu cognitis mētis uim nos quodam modo ad id traducere oportet, quod sub oculos non cadit. Atque in hac quidem contemplatione nos ita uersetur.

Quemadmodum quis in consideratione uerihonesti uersari debet. XI.

VI in ciuitatibus nullo animi iudicio res
 Q intuentur, cum hominem, aut rem aliquam aspiciunt, quæ speciem aliquam præferat, nihil sane amplius exquirunt, quàm id, quod sub oculos cadit. nam qui corporis molem contēplaturi sunt, iis satis est, si totam corporis constitutionem comprehendisse se putent. at uero, qui mente est acuta, & perspicaci, scientiarumq; disciplinis instructus est, non solum satis habet oculorum sensu res, quæ sunt, intueri: neque rebus, quæ uidentur, simpliciter acquiescit: neque id, quod non cernitur, rebus iis considerat, quæ omnino non sunt: sed omnem etiam animi naturam diligenter inuestigat, corporumq; qualitates, quæ apparent, & uniuerse, & figillatim considerat: & harum unā ab altera præcipue ratione distinguit: rursusq; illarum communem concursus, & conspirantem quandam consensum in corporis constitutione contempletur. Eadem igitur ratio est in huius honesti pulchriq; indagatione. qui enim mente minus perfecta est, cum aliquid cernit, quod speciem pulchritudinis aliquam præferat, illud ipsum pulchrum sua natura esse opinabitur, quod uoluptate

uoluptate quadam eius sensus affecerit : nihilq; plus de eo elaborat . sed qui integerrimo est animi sensu , eiusmodiq; res inspicere potest , is materiam relinquens pulchri formæ subiectam , eo , quod oculis cernitur , quasi fundamento aliquo utetur ad illius contemplationem , quod mente comprehenditur : cuius communione cum reliqua honesta pulchraq; sunt , tum etiam habentur . Mihi uero difficile uidetur , cum plerique obtusa mentis acie sint , eos , qui sermone materiam disjungunt , & a pulchritudine illa secernunt , quæ aspicitur , posse ipsam per se pulchritudinis naturam cognitam habere . Ac si quis malarum opinionum , in erroreq; uersantium causam accurate perspicere uelit , nõ aliam sane eum inuenire arbitror , nisi quòd non accurate nos hos nostri animi sensus in hoc exercuimus , ut honestum pulchrum ue ab eo internosceremus , quod neque honestum , neque sane pulchrum est . Quamobrem cum ab hoc studio , quod in uero bono consistit , se abduxerint homines , partim in carnis amorem delapsi sunt , partim in inanimatam pecuniarum uim cupiditatibus prolapsi inciderunt : plerique uero in honoribus , in gloriæ splendore , in opibus , & potentia honestum posuere : non nulli autem sunt , qui in artium , scientiarumq; disciplinis , stupore quodam affecti tenentur : qui uero sunt his abiectiores uilioresq; , hi in gula , ac uentre sedem honesti collocant . uerum qui a rebus sub sensum cadentibus , & ab animi affectionibus ad eas res propensis , quæ speciem aliquam præbent , se se abduxerint ; hi simplicem ipsius honesti indagauerunt naturã , quæ materiæ expers est , nullaq; figura exprimitur ; neque in deligendis iis aberrauerunt , quæ maxime optabilia sunt ;

sunt; neque huiusmodi sunt erroribus ita circumuenti, ut, cum uoluptatem, quæ in his ad tempus est, respexerint, ad tantarum rerum despicientiam deduci uenerint. Hæc igitur nobis quidem uia est, qua ad ipsius honesti inuentionem ducimur, ut cetera omnia, quibus hominum trahuntur cupiditates, quæ ue honesta putantur, ea cū pro nihilo habeamus, quasi humilia sint, ad tempusq; maneat, nullam in his sane appetitionis nostræ uim nos consumamus: neque tamen, ut, cum in nobis ipsis eam concluderimus, otiosam, ab omniq; agitatione uacuum habeamus: sed, cum ab omni rerū uilium, abiectarumq; cupiditate nos illam liberauerimus, eò plane referamus oportet, quò sensus ipse peruenire non potest; ita ut neque cæli pulchritudinem, neque luminum radios, neque res ceteras admiretur, ac suspiciat, quæ aliquam præbeant pulchri speciem. at ex ipsa, quæ in his omnibus spectatur, pulchritudine animus noster ad pulchri illius cupiditatem ducatur oportet, cuius gloriam & cæli, & firmamentum enarrant, omnisq; creatura cognitionem eius annunciat. Cum enim animus ita se relaxat, atque omnia, quæcunque occupauit, ea relinquit, quasi minora sint eo, quod quæritur: tum in illius magnificentiæ contemplatione se exerceat, quæ uel ad summos cælos fertur. sed qua ratione fiet, ut qui rerum humilium studio tenetur, res sublimes, diuinasq; assequatur? quo ue modo circa cælum peruolaret is, qui non alis cælestibus sublatus, neque sublimia petit, neque ex sublimi quodam instituto cælestia contemplatur? quis ita ab Euangelii mysteriis auersus est, qui ignoret, illud unum esse itineris uehiculum, quo hominum animus ad cælos uehitur, cum
quis

quis scilicet se ipsum efficit similem colūbæ deuolantis ? cuius quidem alas sibi effici summus etiam propheta Dauid ualde expetiuit : ita enim Spiritus sancti uim mos est in diuinis litteris subobscure appellari : siue quoniam auis hæc felle caret , siue quia est inimica fætori , ut tradunt hi , qui hæc ipsa inuestigarunt. Is igitur qui ab omni acerbitate , & carnis fætoze longe refugit ; qui ue a rebus humilibus , terrenisq; altius fertur ; uel ab omnibus potius rebus mundanis se illis ipsis , quas diximus , alis sublimius tollit ; is profecto inueniet , quod est solum appetitione dignum : cumq; ad pulchritudinem ipsam prope accesserit , pulcher etiam ipse efficietur , splendidusq; in ea , ac luminosus factus in ueri luminis societate constituetur . ut enim nocte frequentes cæli ignes , quos micantes stellas uocant , nihil aliud esse dicunt hi , qui in hoc studio uersati sunt , quàm aerem , qui spirituum quorundã ui in æthereum cælesteq; illum sit locum effusus : dicunt enim , inflammato in æthere spiritu , igneum hunc tractum cælo imprimi : ut igitur aer hic , qui omnem terram complectitur , ui spiritali in sublime pulsus , cum ætherisq; puro splendore commutatus , luminosus existit : ita hominum mens , cum turbulentam hanc uitam , tenebricosamq; deserit , quoniam spiritus ui iam pura effecta est , cum sublimi illo ueroq; puro splendore commixta , in illo quodam modo perlucet , radiorumq; coruscatione impleta est , atque ex Domini promisso lumen quodam modo efficitur : promiserat enim is iustos uiros ad solis similitudinem refulgentes fore . Atque id ipsum quidem in terris fieri uidemus , uel in speculo , uel in aqua , uel in ceteris rebus , quæ præ tenuitate relucendi uim habent. cum enim

enim

enim res aliqua eiusmodi radios solis excipiet: alios rursus in se radios ipsa efficit: quod utique non factū esset, si pura illius rei splendidaq; superficies sordibus quibusdam esset inutilis facta. Ergo nos, terrenis his tenebris relictis, si sublimia petimus, cum ad ueram lucem, qui Christus est, prope accesserimus; aut lucidi illic quidē, aut lux profecto uera efficiemur, quæ in tenebris elucet, atque usque ad nos descendit. Nos lux erimus, inquit discipulis Dominus, nisi quibusdam malitiæ impuritatisq; sordibus propius cordi admotis, luminis nostri obscurabitur gratia. Atque fortasse quidem hæc, quæ in exemplis consistit, oratio sensim eò nos adduxit, ut putemus nos in id commutatum iri, quod melius est: demonstratumq; est, non aliter fieri posse, ut animus cum immortali incorruptoq; Deo iunctus sit, nisi ipse, quantum fieri potest, integritatis, castitatisq; præsidio purus, atque incorruptus fiat: ut hac similitudine id, quod simile est, apprehendat; tanquam aliquo speculo adhibito Dei puritati se ipse subiiciat, atque pulchritudinis ipsius exemplari sibi demonstrato, ad illius similitudinem, formam suam exprimat. sin autē quispiam talis est, qui nouerit hæc humana deferere, aut corpora, aut pecunias, aut scientiarum, artiumq; studia, aut quæcunque moribus legibusq; præclara putantur; quoniam in his rebus, quarum sensus iudex est, de honesto opinionis error uersatur; hic profecto & amore, & cupiditate ad illud ipsum solum honestum, pulchrum ue trahetur, quod non aliunde existere potest, neque aliquando, neque ad aliquid eiusmodi refertur: sed quod ex se, & per se, & in se honestū est, hoc sane est semper honestum, neque aliquando non fuit,
 aut

aut aliquando non futurum ; sed perpetuo se uno eodemq; modo habet, neque omnino augeri, neque amplificari, neque ulla permutatione mutari potest. At qui, cunctas animi sui potestates omnium uitorū for-
 dibus qui absterferit, illud ausim dicere, affirmaremq; perspicuum ei omnino, esse id, quod natura est solum honestum, a quo cum honesti omnis, tum boni principium, atque causa existit. ut enim oculus, qui lippitudinis morbo liberatus est, aperte ea cernit, quæ in cælo apparent : sic animo ex pura integritate, castitateq; facultas accedit lucis illius contemplandæ. Atque uera quidem uirginitas, incorruptæq; castitatis studium eò sane refertur, ut illius ipsius ope adhibita, Deum quis possit intueri. nã proprie, & primū, & solum honestum, purumq; Deū esse, nemo ita mēte cæca est, quin per se intelligat. sed hoc ipsum fortasse nemo ignorat : at æquū tamen est, ut non nulli, si fieri potest, omnino indagent, quæ sane ratio sit ac uia, quæ nos ad illud ipsum honestum ducat. Plenæ igitur sunt huiusce narrationis diuinæ litteræ, compluresq; sanctissimi uiri uitam suam, quasi lumen aliquod, illis ostendunt, qui cum Deo ambulant. Verum præcepta quidem multa, quæ ad hoc propositum pertinent, ex diuinis utriusque testamenti scriptis copiose satis colligere licet. nam cum multa e prophetis, atque lege; tū pleraque sane, & ex euangelicis, & Apostolicis traditionibus abunde percipi possunt. Quæ uero nos, diuinis imitati sermones, commentati sumus, hæc omnino sunt.

G Neque

Neque a principio , neque natura innatæ sunt homini affectiones , sed ex consilio sibi eueniunt .

XII.

HOMO, qui rationis particeps , mentisq; compos animal est , & diuinæ incorruptæq; naturæ opus , atque simulacrum effectum : in mundi enim constitutione de eo his uerbis scriptum est : Ad imaginem Dei fecit eum : hoc, inquam, animal homo principio nõ illud sibi natura ingenitū habuit , ut affectibus esset , mortiq; expositus . neque enim fieri poterat , ut similitudinis conseruata esset ratio , si contra se id haberet , quod ad exemplaris imaginem , similitudinemq; expressum est . sed post primā hominis fabricationē affectionum uis in eum introducta est : introducta est autem hoc modo . Imago erat homo , similitudoq; , ut dictum est , eius potestatis , cuius imperio , quæcunque sunt , omnia tenentur , ac reguntur : idq; propterea in hominis libero cõsilio , uoluntareq; positum fuit , se illius similitudinē tenere , cuius potestate res uniuersæ complectuntur : neque ulla sane rerum externarum necessitate seruus effectus est , sed sua ipse sententia ad id , quod sibi uisum est , se se affecit : cumq; ex potestate id elegisset , quod sibi placuerat ; calamitatem hanc , qua hominum genus iam oppressum tenetur , sponte ipse fraude circumuentus contraxit : & ita omnis mali auctor fuit . mortem enim Deus non effecit , sed mali conditor quodam modo , fabricatorq; homo extitit . quemadmodum enim solis lux cõmunis proposita est omnibus , qui cernendi uim habent ; potest enim quis , si uoluerit , clausis oculis efficere , ne lucē illam excipiat ;

non

non quia sol aliò migret, atque ex eo tenebras offundat; sed quia homo ipse, clausis palpebris, oculum a radiis sepièrit: nã cum uidendi uis, opertis oculis, suo munere fungi non possit, necesse est omnis hæc aspectus cessatio tenebras efficiat, quas homo sibi sponte ex eo offundit, quia uidere recusat: aut ueluti si quis domum sibi ædificat, nullumq; luci aditum patefacit ad ea, quæ domi sunt; is certe cum ingrediendi uiam radiis sponte obstruxerit, in tenebris ipse uitam deget: pari ratione primus terræ homo, uel potius is, qui malum homini peperit, unum quidem natura honestum, & bonũ undique sibi propositum in potestate habuit: per se tamen ultro est ea molitus, quæ contra naturam sunt: cum mali, uitiiq; usum, repudiata uirtute, suo ipse consilio introduxerit. malum enim extra cõsiliũ de liberationem positum est, siq; eius status consideratur, in earum, quæ sunt, rerum natura nullum est. nam Dei opus omne bonum, neque detestandum: cuncta ue, quæ Deus effecit, sunt admodum bona. sed postea quàm eo, quem diximus, modo in uitam hominum non sine maxima pernicie irrepsit peccandi consuetudo; atque ex parua causa, quæ in infinita hominum mala latius manauit, diuina illa animi pulchritudo, quæ ad exemplaris imitationem fuerat expressa, quasi ferrum, rubigine uitii est consumpta: non tantum quidem, quanta certe sibi ex natura inerat, conseruauit imaginis gratiam, sed ad peccandi turpitudinem sese tota conuertit, unde magnum hoc, & nobile animal homo, quasi a pictura nomen sumpserit, e dignitate sua cecidit. id quod accidere solet iis, qui e lapsu aliquo erepti, fordibus, ac luto aspectum cum immuta-

G ii uerint,

uerint, sunt uel familiarissimis incogniti. ita qui peccat, & labitur, incorrupti Dei imaginem peccati fordibus perdidit: mutatoq; habitu corruptam quandam, peccatiq; labe inquinatam imaginem induit, quam ratio deponere suadet ei, qui incorrupta uitæ disciplina se quasi aqua quadam abluerit, ut hoc sane terreno abiecto integumento animi appareat pulchritudo. Aliena uero abiicere, in eo est, ut sua quisque uestimenta induat, atque ad naturam redeat: quod profecto asse qui nõ aliter licet, nisi talis rursus quis fiat, qualis principio sane effectus est. non enim nostrum est, neque facultatis hominum officium, ut diuinitatis similes fiât: sed hoc sane contingit maximo munere Dei, qui a primo statim ortu nobis sui est similitudinem largitus. at hominem studii tantum illud sane est, ut quas sibi sordes postea ex peccato ipsi contraxerant, eas omnino eluant, pulchritudinemq; illam illustrent, quæ in animo occultata est. Eiusmodi autem præceptum in Euangelio Dominum docere arbitror, cum loquitur ad eos, qui sapientiam in mysterio loquentem audire possunt. Regnum Dei, inquit, intra uos est. Demõstratur enim, opinor ratio ex eo, quod diuinum bonum non nostra natura definitum est, non procul tamen ullo modo ab iis abest, qui illud indagare instituunt. ipsi sane ab eo remoti sunt: at in singulis illud est, incognitum tamen atque obscurum. cum enim & curis, & uitæ uoluptatibus compressum est, rursus porro tum inuenitur, cum mentem, animumq; nostrum ad illud conuertemus. sin autem ex aliis quoque hoc, quod dicimus, cõfirmatum iri oportet, in amissæ dragmæ indagatone hoc ipsum nobis Dominum præcipere censeo: quasi e cete

ris

ris uirtutibus, quas dragmas ille uocauit, etiã si omnes adsint, illa tamen una remota sit ab animo uiduo, nulla existat utilitas. propterea lucernam primum quidem accendi iubet: rationem enim fortasse significat, quæ res occultas, atque obscuras illustrat: deinde suæ quemque domi, nempe in seipso amissam dragmam exquirere uult. Hac sane dragmæ indagacione summi regis imaginem tacite intelligi oportet, quæ non plane amissa, sed sub fimo occultata est. Fimum uero, ut arbitror, carnis est interpretanda immundities, cuius sordibus purgatis, atque ablutis perspicuum id sit, quod quæritur: quo inuento, par est & ipsum, qui inuenit, animum gaudere, atque ad ipsius gaudii societatem uicinas asciscere. omnes enim reuera contubernales animi potestates, quas nunc uicinas appellauit, cum ipsa magni regis patefacta imago refulsit, quam initio nostra dragma is significauit, qui separatim nostra corda effecerat; tum incredibilem rei inuentæ pulchritudinem illæ attente aspicientes, ad diuinum illud gaudiũ lætitiãq; conuertentur. Congratulamini, inquit, mihi quia inueni dragmã, quam perdideram. Vicinæ enim, hoc est, contubernales animi potestates, quæ diuina dragma inuenta gaudent, hæ merito esse putantur: ratio scilicet, appetitio, doloris iræq; affectiones, atque reliquæ, quæ in animo spectantur facultates, quas quidem uniuersas æquum est in Domino tum gaudere, cum & ad honestum, & ad bonum omnes contuentur: neque peccati amplius circumseptæ armis, cuncta efficiunt, quæ ad Dei gloriã maxime spectant. Quamobrẽ si ratio hæc est inueniendi id, quod quæritur; aut si diuinæ imaginis, quæ iam carni sordibus obsoleuit, in
integrum

integrum restitutio hæc est : nos illud sane efficiamur , quod principio is fuerat , qui primum fabricatus est homo . quid igitur illud erat ? nudus quidem is , non mortuis pellibus amictus , libere autem Dei faciem cernens , neque ex gustatu suauitatem sentiens , sed Domino solum delectatus , adiutorioque , quod ad hoc , ut diuinæ ostendunt litteræ , datum ei erat , simul utens . non enim prius Euam cognouit , quàm a paradiso expulsus est : illaque dolorum partus supplicio damnata est ob peccatum , quod dolo circumuenta admiserat . Ergo qua sane uia e paradiso primi nostri parentis causa nos eieci sumus , eadem profecto nobis licet , si rursus in cursu erimus , ad pristinam beatitudinem redire . Quæ igitur uia est ? Voluptas tum quidem fraude , doloque inducta , a peccato , lapsu ue initium habuit : deinde pudor , & metus , uoluptatis affectum consecuti sunt , ut non auderent porro in cõspectu amplius illius esse , qui eos procreauit : sed foliis , umbrisque se se occulerent , ac mortuis deinde pellibus se contegerent . Atque ita in pestiferam hanc regionem laborumque plenam , in qua moriendi solatium est coniugium inuētum , incolæ ambo , atque habitatores mittuntur . Quamobrem si futurum est , ut nos hinc dissoluamur , atque cum Christo simus : ab ultima rursus dissolutione expedit nos exordiri . ut enim qui a patria procul peregrinati sunt , cum ad eum ipsum locum reuertuntur , unde profecti sunt , primo illum locum relinquunt , quò postremo peruenerunt . Ita quoniam nostræ in paradiso uitæ separationis postremum est coniugium : hoc ipsum primum , quasi postremum aliquod diuersorium , relinquere , hæc oratio monet eos , qui ad
Christum

Christum redeunt : deinde ab iis uitæ miseris difficultatibusque segregari , quibus post peccatum est homo affectus : præterea ab his carnis inuolucris remoueri pelliceas tunicas , hoc est ut carnis prudentia exuti homines , omniaque uerecundiæ integumenta abiicientes , non acerbe amplius huius uitæ quasi fici umbris se se occultent : sed depositis , abiectisque huius caducæ uitæ fo-
 liorum integumentis , in oculis uersentur eius , qui illos procreauit ; ac fraudem , quæ ex gustatu aspectuque concipitur , eam plane repellant ; in consiliumque non amplius uenenosum serpentem , sed Dei præceptum solum adhibeant . illud enim est , ut honesta dumtaxat attingamus , gustum uero malarum rerum aspernemur : quasi huiusmodi rerum , quæ in malis sunt , usus ex eo initium habeat , quoniam malum nos ignorare nolumus . Itaque illud primis parentibus præceptum est , ut ne una cum bono rerum contrariarum cognitionem caperent , sed a scientia & boni , & mali abstinerent , puroq; & simplici , neque cum ulla mali parte coniuncto bono fruerentur : quod sane , ut mea fert sententia , nihil perinde est , ac solum cum Deo esse , perpetuamq; , & sempiternam hanc delectationem habere , nec quæ ad contrariâ partem spectant , cum hac ipsa suauitate communicare . Atque si confidenti animo loqui decet , fortasse hoc ita est , ac si quis a mundo hoc , qui in maligno positus est , in paradisum rursus rapiatur , quod Paulus sublatus & audiuit , & uidit , quæ neque exprimi , neque cerni possunt , neque fas est hominem loqui.

Virginitas

Virginitas ui mortis potentior. XIII.

T quoniam uiuentium quidē domicilium
E est, ac sedes paradifus : neque eos recipit,
 qui ob peccatum morti addicti sunt : & nos
 e carne sumus, mortalesq; peccati causa effecti : quo
 modo in uiuentium loco esse is potest, qui mortis ui &
 potestate tenetur ? quem modum, quod ue consilium.
 hic inueniet, ut hac ipsa potestate solutus ac liber fiat ?
 At uero ad hoc uel satis omnino est Euangelii doctri-
 na. Quin etiam Dominum audiuius, qui Nicodemum
 his uerbis alloquitur. Quod e carne natum est, ca-
 ro est : quod e spiritu natum est, spiritus est. Illudq;
 nos nouimus, carnem propter peccatum morti subie-
 ctam : Dei uero spiritum & incorruptum & uiuificum,
 & immortalem esse. atqui ut quod e carne genitum est,
 inhæret ei omnino uis quædam, quæ id dissoluit, quod
 est carne concretum : sic spiritus uim quandam uitalem
 scilicet iis rebus attribuit, quæ a se gignuntur. Quò spe-
 ctant hæc, quæ diximus ? ut sane ab hac nos mortali ui-
 ta abalienati, cui omnino comes adiuncta mors est, il-
 lud uitæ genus quæramus, in quo non inest mortis cur-
 sus : uita autem eiusmodi in uirginitate cōsistit. Atque
 hæc quidē quàm uera sint, paucis sane propositis, aper-
 tiora fiēt. Quotus enim quisque est, qui ignoret, corpo-
 reæ coniunctionis opus e mortalibus corporibus con-
 stitutionē esse ? spiritualis uero societatis copulationem
 iis, qui pro liberis iuncti sunt, uitam, & immortalita-
 tem parere ? recteq; ad hoc illud Apostoli quadrat :
 saluabitur autem per filiorum generationem mater,
 quæ his filiis gaudet : ut in diuinis hymnis psalmorum
 uates

uates his uerbis cecinit . Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem . Vere enim ac solide uirgo mater gaudet , quæ spiritus opere immortalis liberos parit , sterilis ob temperantiam a propheta appellata est . Certe eiusmodi uita , quæ uim mortis superat , potior est ab iis habenda , qui mente præditi sunt . corporea enim liberorum procreatio non uitæ magis , (pace omnium dictum sit) quàm mortis occasio hominibus existit : si quidem ab ortu initium habet interitus : a quo uirginitatis causa qui immunes futuri sunt , mortis in se terminum constituerunt , cum ultra in se illam progredi prohibuerint , & uitæ & mortis se quasi terminos aliquos cum statuerint , eam sane continuerunt , ne ultra prorumperet . Ergo si uirginitatem mors superare non potest , sed eius potius præsidio illa concluditur , ac dissoluitur ; illud manifesto compertum est , morte ipsa uirginitatem esse potentiolem : unde recte corpus incorruptum uocatur , quoniam caducæ huius uitæ muneri neque operam præstitit , neque hoc etiam admisit , se mortalis posteritatis instrumentum fieri . hoc enim pacto perpetuum illum & corrumpendi , & moriendi cursum interrupit , qui a primo parente usque ad uirginalem uitam nunquam est intermissus . neque enim fieri poterat , ut hominum genere e nuptiis procreato , mors unquã cessasset , sed superiores omnes hominum ætates prætergressa , cum his etiam , qui hæc uitam ingrediuntur , simul iam illa percurrens , uirginitatem muneris sui terminum inuenit , quem porro transilire difficile est : tanquam Dei matris Mariæ tempore ab Adamo usque ad eam regnum mors obtinuerit : posteaque sola effecit , ut , cum tanquam ad lapidem

H aliquem

aliquem uirginitatis fructum mors offenderit, in ea contrita sit: ita omni animo, qui uirginitatis præsidio hâc carnis uitam cohibet, atteritur quodam modo, ac dissoluitur potentia mortis, quasi non habeat, quibus ipse stimulus infigatur. ut enim, igni nisi subiecta sunt ligna, stramenta, fenum, aut aliud id generis, quod igne consumitur, non potest eius uis ac natura consistere: sic neque mortis uis quidquam efficiet, nisi ei materiam coniugium suppeditauerit, moriturosq; quasi damnatos parauerit. Si uero tu coniugium complecteris, id uelim animaduertas, quod iam orationis initio dictum est: unde proficiscuntur calamitatum nomina, quæ mortis causa hominibus imponuntur. Num uiduitatem, aut orbitatem, aut omnium denique rerum calamitatem, nuptiis non ante contractis, lugere licet? exoptata enim animi uoluptates, & lætitiæ, & oblectationes, cuncta ue, quæ in nuptiis iucunda expectantur, his dolorum cruciatibus concluduntur, ac terminantur. nam ut gladii capulus politus ille quidem, tactu facilis, & ornatu undique cinctus apparet: reliquum uero ferrum mortis est instrumentum: (formidolosum hoc certe est uidere: illud tamen formidolosius multo est, si ad aliquem uel pugnae, uel cædis usum adhibetur) hoc in genere nuptiæ sunt: quæ quasi capulum aliquem artificioso opere illustratum, politam quandam uoluptatis speciem gustui, contrectationiq; nostræ præferunt. Cum uero in manibus eius sunt, qui illas attigerit, luctus, miseriarumq; ipsæ mortalibus cum effectrices existant; rerum omnino grauium, quæ secum connexæ sunt, aditum aperuerunt. Hæ miserrabilia spectacula, lacrymarumq; plena edidere. uidemus enim sæpe

sæpe liberos immatura ætate solos relictos, potētiumq; hominum prædæ propositos, qui ob malorum imperitiam plerunque in rebus aduersis rident. Viduitatis uero principium & causa quæ alia est? an non nuptiæ? diuortium igitur ab innumerabilibus his omnibus malis uacationem habet: idque non iniuria. cum enim dissoluitur pœna, quæ contra eos, qui deliquerunt, initio statuta est, tum etiam, quemadmodum scriptis proditum est, non matrum sollicitudines perturbationesq; augentur: neque dolor ortum hominis præcedit: tollitur enim simul calamitas, lacrymæ faciei arescunt, inquit propheta: neque in iniquitatibus amplius conceptio, neque in peccatis partus, neque ex sanguine, neque ex uoluntate uiri, neque ex uoluntate carnis, sed ex uoluntate Dei procreatio fit. etenim cum incorruptâ spiritus integritatē uiuo corde quis concipit; sapientiã hic, iustitiã, sanctimoniã parit, eodemq; modo redemptionem. Cuique enim licet, se matrē esse eius, qui hæc sunt, ut quodam loco ait Dominus. Quoniam inquit, qui facit uoluntatem meam, hic & frater, & soror, & mater mea est. Quem igitur locum in his partibus mors habet? Re uera mortalitas a uita absorpta est: uirginalisq; uitæ illius futuri æui beatitudinis imago quædam esse uidetur, cum multa secum signa illorum bonorum afferat, quæ ex spe nobis proposita & parata sunt. Primum enim quidem qui peccato prorsus moritur, Deo is porro uiuit, cum nullum amplius morti fructum pariat; cumq; uitæ huius, quæ carnis uinculis astricta tenetur, perfectam, quantum in se est, disciplinam ipse constituerit; expectet porro, in beataq; illa spe omnino sit fore, ut faciem magni Dei aspiciat: quoniam nullum

H. ii interiectis

interiectis sæculis temporis spatium inter se, & Domini aduentum iste facit. Deinde quæ in resurrectione maxime præcipua bona sunt, iis in hac uita fruitur. si enim uita Angelorum similis post resurrectionem a Deo iustis uiris promittitur, illud Angelorum naturæ proprium est, ut sint a nuptiis alieni. Iam promissionis præmia is accepit, qui sanctorum uirorum splendoribus simul eluxit, qui ue nullis uitæ sordibus eorum, qui corpore carent, puram est naturam imitatus. Quamobrè si harum ceterarumq; huiusmodi rerum uirginitas conciliatrix est; quæ sane oratio huius muneris admirationem satis excitabit? quæ reliqua animi bona ita magna, atque adeo perfecta uidebuntur, ut comparatione facta, perfectioni huic adæquata sint?

In omnibus studiis uera Virginitas
spectatur. XIII.

ED si huius muneris præstantia a nobis comperta est, illud sane etiam, quod sequitur, expedit ut intelligamus: quoniam non simplex est, ut aliquis certe putauit, hoc perfectum uirginitatis officium, neque in corpore solum consistit, sed opinione etiam ad omnia peruenit, ac pertinet, quæcunque recta animi officia & sunt, & habentur. nam uirginitatis præsidio animus cum uero sponso coniunctus non corporeis modo sordibus, se ipse remouebit; sed inde etiam profectus ad munditiem aggredietur, ad omniaq; pari item securitate ibit: illud tamen pertimescendo, ne aliquo modo ad rei prauæ societatem corde plus, quàm par est, inclinatio affectionem aliquam ex

ea

ea parte adulterinam capiat . Verbi gratia, sermonem enim rursus repetam , animus , qui cum Domino iunctus est , ut unus ad eum spiritus efficiatur . cumque tanquam aliquod communis uitæ pactum cum eo fecerit , ut toto corde uiribusq; eū solum diligit ; non cum fornicatione se se conglutinabit , ne unum cum illa corpus fiat : neque cum ullis rebus , quæ saluti repugnent , societatem inibit , quasi una sit omnibus in rebus impuratum cōmunitas : siq; unius alicuius sceleris labe contaminatus est , non possit eam in se contractam labem amplius eluere . atqui exemplis id , quod dicimus , aperte indicare licet . Veluti in stagno aqua pura , atque immobilis manet , nisi aliqua extrinsecus perturbatio incidit , quæ illius motum agitet ; si autem lapis alicunde cadit , quæ in parte aquæ turbatio facta est , uniuersa in orbem commoueretur : nam præ grauitate , & pondere in imum gurgitem ille fertur : cumq; aquæ fluctus circa eum in gyrum mutuo ducantur ; medioq; motu impulsu in summum aquæ æstium erumpant ; omnis summa stagni aqua , cum ima pars mota sit , æstium ambitu agitur : pari ratione tranquillitas & animi quies , si unus aliquis affectus in eum inuadet , tota tamen simul concutitur , & in aliqua parte læditur . commemorant enim ii , qui hæc ipsa indagarunt , uirtutes inter se minime disiunctas esse ; neque fieri posse , ut , qui unius rationem diligenter , accurateq; percurrerit , ceteras quoque non attingat : sed cui una ex uirtutibus inest , reliquas necessario eum consequi dicunt : quin etiam contra alicuius rei , quæ nos attingit , uitium ad omnem honestam uitam pertinet . uereq; , ut est apud Apostolum , e partibus totum compactum est . siue enim una
pars

pars patitur, totum simul dolet : siue gloria afficitur, totum una gaudet.

Vt aliquid est a uirtute remotum, ita
in periculo uersatur. XV.

ED innumerabiles in nostra uita sunt peccandi uia, uariosq; hos delinquendi modos multitudinis nomine diuinæ litteræ ostendunt. Multi enim sunt, inquit, qui persequuntur me, & tribulant me; & multi bellum gerunt aduersus me ex alto. Atque alia quidem multa eiusmodi sunt. Fortasse igitur apte cōmemorare licet multos esse, qui adulterando insidias struunt, ut honorabile hoc uere cōnubium, & immaculatum thorum deturpent: sique hos adulteros nominatim enumerare oportet, adulter ira, adulter auaritia, adulter inuidia, iniuriarum recordatio, inimicitia, inuidia, & omnia denique, quæ ab Apostolo colliguntur: tanquam adulterorum enumeratio ea omnia sint, quæ salutari doctrinæ repugnāt. Atqui faciamus in feminis unam esse forma integra, quæ ue digna sit, ut ametur. ideoq; quoniam regis coniugio conueniret, a quibusdam impudicis hominibus egregiam ob formā ei insidias poni. hæc sane quàm diu in eos omnes, qui sibi uitium offerre student, inimico est animo; remq; ipsam uero marito indicat, mulier est pudica, quæ ue solius uiri sui honori seruit: nullumq; propterea cum ea locum habet petulantium hominum insidiæ. si autem ex iis, qui insidiantur, uni consentit, non sane a pœna illam liberat pudicitia, quam aliis præferet. ad damnationem enim sat est uel
unius

unius labe cubile deturpatum . Eodem modo animus is , qui Deo uiuit , non ullis rebus se oblectauerit , quæ sibi ex errore quodam non ueram honesti speciem præbent : sin ex aliqua affectione uitii maculam cordi contraxerit , spiritualis ipse matrimonii iura rescidit : atque , ut in diuinis litteris scriptum extat , in animam maleuolam non intrabit sapientia . Pari ratione nos uere dicere possumus , in animo irarum , inuidiæq; pleno , qui ue eiusmodi aliquo peccato irretitus tenetur , fieri non posse , ut in eo bonus sponsus inhabitet . quæ enim consilii ratio conciliabit id , quod natura inter se alienum non cohæret , neque ullo societatis iure illigatum est ? Tu , uelim , audias Apostolum , qui docet , nihil esse luci cum tenebris commune , neque æquitati , iustitiæq; cum iniquitate , atque , ut summatim , breuiterq; dicā , omnia quibuscunque & mente comprehensus , & uocatus est Dominus , ex earum rerum differentia , quæ in eo cernuntur , hæc omnibus iis , quæ in uitio posita sunt , contraria intelligi . Si igitur difficilis est rerum inter se dissimilium societas : remotus omnino est a uirtutis contubernio , neque plane uirtutis capax est is animus , qui aliquo uitio irretitus est . Ergo quid ex iis documentis nos accepimus ? hoc sane , quod pudicam uirginem , quæ rationem uitæ ducem sequitur , ab omnibus animi affectionibus se omnino abducere oportet , ac sponso , qui eam adornabit , integram se atque adeo puram cōseruare , ut aut sordes , aut rugas , aut aliquid eiusmodi minus contrahat .

Ad

Ad bonum minime aptus est is, qui aliqua ex parte in uirtutis officio peccat. XVI.

IA est una recta, angusta illa quidem, & tri-
 V ta, quæ neque alterius uix flexiones, & di-
 uerticula comprehendit: atque ex hac ali-
 quo sane modo deflectere fortasse periculum est, ne quis
 labatur, & concidat. Si hæc ita se habent, multorum
 nos consuetudinem, quoad eius fieri potest, moderari
 oportet. qui enim contra scdissimas uoluptates pugna-
 cissime se defendunt, eas uero, quæ in honoribus atque
 imperii appetitionibus existunt, uoluptates consecan-
 tur, hi nihil omnino dissimile faciunt, ac, si quis ser-
 uus libertatis auidus, mature operam det, non ut a ser-
 uitate uindicetur, cum in eo libertatē esse putet; si ab
 eo, in cuius potestate fuit, ad alium dominum transfe-
 ratur. serui enim pari conditione omnes sunt, quam-
 uis non eorundem dominorum imperio potestate ue-
 teneantur: cum unus aliquis illis dominetur, atque
 cum potestate imperet. Rursus sunt plerique, qui mul-
 to contra has uoluptates certamine, facile quodam mo-
 do sunt ab aduersario superati: atque in accurata be-
 neq; cōstituta uiuendi ratione, doloribus & animi con-
 citationibus, & malorum recordationibus, & ceteris
 denique omnibus, quæ contra hunc uoluptatis affe-
 ctum restiterunt, cum facile expugnantur, tum diffi-
 culter ab iis liberantur, hocq; tum accidit, cum uirtu-
 ti cōsentanea minime est ratio, sed uitæ cursum aliqua
 animi dirigit affectio. Præceptum enim Domini, ut
 diuinis litteris scriptum est, ualde quidem lucidum est,
 ut uel infantum oculos illuminet; cū illud nos doceat,
 ut

ut soli Deo inhæreamus : siquidem neque dolor est Dominus, non uoluptas, non formido, non audacia, aut ira, aut aliquis huiusmodi affectus, qui in animo rudi dominatur, at sapientia ipsa est, inquit Apostolus, sanctificatio, ueritas, pax, & gaudium, omniaq; alia id generis. Quo igitur modo huic iunctus esse potest is, qui contrariis affectibus tenetur? aut quo modo nõ absurdum est, eum, qui studium in eo ponit, ut nulla affectionum ui impellatur, putare in eo, quod cõtrarium est, esse uirtutem? uerbi causa, si qui uoluptatem fugit, dolore hic uincatur: qui ue audaciam, ac temeritatem declinat, præ timiditate is animum prosternat atque abiiciat: aut qui inuictõ esse animo studuit, is metu fractus ceciderit. quid enim interest, hoc, an illo modo quis a uirtute cadat, uel potius se a Deo ipso remoueat, qui uirtus absoluta est, ac perfecta? nam in corporis ægrotationibus nihil referre quis dixerit, utrum morbi tabes a nimia cibi tenuitate sit, an ab immoderata ingurgitatione; cū utriusque immoderatio eodem termino concludatur. itaque qui & animi uitæ, & salutis curam habet in moderata quadam animi æquitate uersabitur, quoniam in eo permanet, ut nullam cum ea repugnantia societatem habeat, quæ sit utrinque uirtuti opposita. non mea quidem hæc est, sed uocis ipsius diuinæ oratio. Aperte enim Domini doctrinæ hoc præceptum est in iis, quæ discipulos docet, ut agni in lupos conuersi, non columbæ solum ipsi sint, sed aliquid etiam habeant, quod in moribus serpentis positum sit. Hoc sane est, cum quis supra modum simplicitatem colit, illud in hominibus non laudabile uideri, quasi habitus hic ad extremam dementiam propius accedat:

I neque

neque tamen putet quis solertiam, quæ a plerisque laudata est, & calliditatem in uirtute poni; quoniam contrariorum expers sit, neque modum excedat. sed qui ex una imprudentiam, ex altera quandam in rebus prauis sapientiam amputauerint, unam aliquam efficiunt habitus constitutionem, quæ ex ea, quæ uidetur repugnantia, sit conglutinata: quasi ex utroque contrario unum perfectum sit honestum, quod & ex animi simplicitate, & solertia conflatum est. Estote, enim inquit, prudentes ut serpentes, simplices ut columbæ.

Sola uirtus, etiam perfecta, nihil omnino prodest ei, qui in omnibus uirtutem non colit. XVII.

VO D igitur eo loco dictum est a Domino, commune sit omnis uitæ præceptum, iis præfertim, qui uirginitatis studio ad Deum accedunt: ut, cum ad unum aliquod rectum officium respiciât, non modo res contrarias caueant, sed quod bonum est undique sibi colligant. neque enim miles, qui armis partem aliquam corporis munierit, reliquum corpus armis nudum periculo obiiciet. quid enim ei lucri est ex parte corporis armata, si a partibus nudis occasionem aduersario ostendet? quis formosum eum dixerit, cui ex iis, quæ ad formæ speciem attinent, aliquid est calamitate rescissum? turpitudine enim, ac deformitas reliquarum partium uenustatem eius, qui firmo est corpore, corrumpit: qui si, ut in Euangelio quodam loco scriptum est, ridiculus est, qui turris ædificium aggressus, atque in fundamentis omne quidem studium suum

suum cum posuerit, extremam ædificii partem non est executus: quid ex hac nos parabola aliud cognoscimus, quàm ut, proposita re aliqua sublimi, finem assequi studeat, qui uariis mandatorum quasi structuris Dei opus perficiunt? Neque lapis enim unus tota est turris ædificatio: neque præceptum sane unum perfectionem animi ad eum ducit, quem nos quærimus, modum: sed iactum esse oportet planè fundamentum, atque super aurum, ut ait Apostolus, & lapides pretiosos ædificium struendum est: ita enim mandatorum opera propheta appellauit his uerbis: Dilexi mandata tua super aurum, & lapidem pretiosum multum. Atque pro aliquo quidem fundamèto sit honestæ uitæ propositum studium: hocq; fundamento extructa sint omnia uirtutis opera: si ualde honestum hoc, & Deo conueniens esse creditur, ut sane & est, & creditum est. Sed nisi huic perfecto officio uita omnis conuenit, reliqua ue animi perturbatione hoc inquinatur; illud aurum ornamentum est, quod in naribus feræ, aut margarita, quæ sit porcorum pedibus proculcata. Sed de his quidem hætenus.

Omnes animi potestates uirtutem spectare debent. XVIII.

I uero quis pro nihilo putat, uitæ suæ rationem cuiquam inuicem accommodare, res suas domesticas contemplatus ad hoc præceptum erudiatur. ut enim paterfamilias domi suæ passurus mihi non uideatur, ut res fœdas, ac turpes cernat, ueluti non stratum lectum, aut mensam sordium plenâ,

I ii aut

aut uasa pretiosa quæ aliquò coniecta sint, ubi sordium situs est, quæ uero sunt ad usus minus honestos accõmodata, in oculis adeuntium illa posita sint : sed apte ille atque ordine recto cuncta collocando, suumq; cuique rei locum tribuendo : cum exploratum habeat quo ordine res domi suæ sint : tum fidenti animo, quasi nullo pudore prohibitus, hospites ac peregrinos excipiet : eodem modo domicilii nostri domino, ac moderatori, nempe rationi, agendum esse arbitror : ut, quæ in nobis sunt, omnia recte instituat ; singulisq; animi potestatibus, quas & pro instrumentis, & uasis summus nostræ naturæ opifex fabricatus est, iis apte, & ad honestatem utatur. Si uero quis hoc, quod a nobis inepte fortasse, & multis uerbis dicitur, non intelligit : sigillatim sane explicabitur, quo pacto iis, quæ sibi insunt, utendo, sit ad id, quod expedit, accõmodaturus. Atqui cupiditatem, quæ in animi pura castitate sedem posuerit, quasi rem aliquam detestabilẽ haberi oportere dicimus ; ac Deum, qui bonorum suorum primitias capit, cum illum semel cõsecrauerit, & intactum, & purũ conseruare, ne ullo modo huius uitæ sordibus inquinetur. Excandescentiam uero, & iram, & odium quasi canes aliquos ostii custodes ad solam peccati repugnantiam in uigilia, & statione manere : aduersusq; furem & hostem natura eum usum esse, qui in diuini thesauri perniciem aditum sibi facit, atque ob eam causam uenit, ut furetur, & mactet, & perdat : pro telo aliquo audaciam, & fortitudinem afferri oportet, ne ulla formidine, quæ incidat, aut subitis impiorum affectibus animus consterneretur : spe autem & tolerantia quasi baculo inniti, si quando quis tentationibus defatigatur, in peccatis

peccatis uero pænitiæ tempore si usu uenerit, doloris remedium parare, atque adhibere, quasi neque hoc alias utile sit, ac salutare nisi ad solum huiusmodi pænitiæ usum: tum uero recta horum regula iustitia erit, quæ docet, quid in omnibus & dictis, & factis sit a peccato alienum, quo ue modo animi partes institui oporteat, qua ue ratione, quod cuiusque proprium sit, pro dignitate tribuatur. Cupiditatem autem, quæ in plus habendo posita est, multam illam quidem, & immensam in singulorum animis, si quis ad eam, quæ a Deo est, appetitionis uim addiderit; is in hac ipsa plus habendi cupiditate beatissimus erit, cum eam illuc impelat, quò impelli laudabile est. Atqui sapientiam, prudentiamq; rerum omnium, quæ expediant, consultrices, uitæq; suæ cõtubernales adhibebit, ut nullo unquã tempore aut imperitia, aut imprudentia in errorem abducatur. Sin autem iis, quas commemorauit, uirtutibus neque ut par est, neque ut earum natura postulat, quis usus est, ad idq;, quod minime decet, earũ usum cõuertit; uel quia ad res turpissimas cupiditatẽ adiicit, uel quia in uicinos odiũ cõcipit, uel quia iniquitatẽ colit; uel quia se contra parentes acrẽ ostẽdit, atque absurda quæque audet, inaniaq; sperat: hic certe cum prudentiã, & sapientiã a contubernio suo repellat, ingluuie quandam, atque intẽperantiã sibi socias adiungat: qui si in reliquis eodem modo facit, insulsus utique est, & monstri similis: quasi non deformitatem ipsam quis merito eum dicere potuisset. ut enim si quis armis undique munitus, galeã conuertat, ut & faciẽ tegat, & conum in posteriorẽ partẽ inclinauerit, pedesq; in thorace habeat, ocreas pectori accõmodet, quæ ue a læua ad dexteram

dexterã com mutet, dexteræ uero partis ad armaturam læuæ apponat : quod igitur uerisimile fit, militia ut huic eueniat, qui ita præpostere est armis instructus, hoc ipsum consentaneum est illi in uita accidere, qui mente ita perturbata est, ut animi uirtutum usum peruertat. Quin adhibenda est a nobis quædam diligens in his cõuenientiæ decorique ratio, quam in animis uera temperantia inferere solet. Sique perfecta absolutaque huius uirtutis definitio considerata est, fortasse quidem proprie dicitur omnium animi motuũ bene constituta quædam, & cum sapientia, prudentiaque coniuncta mode ratio. Atque huiuscemodi animi constitutio non ullò amplius labore, neque studio ad rerum sublimium cælestiumque societatem indigebit : sed nullo sane negotio, rebus contrariis reiectis, cum id, quod quæritur, naturaliter teneat, perficiat id, quod assequi difficile uidetur. qui enim extra tenebras longe positus est, eum & in luce omnino uersari, & qui mortuus nõ est, illum uiuere necesse est. Et profecto, nisi quis frustra animam suam accepit, in ueritatis uia plane erit : quoniam prudentia, ac scientia, quam quis adhibet, ne a uia declinet, dux sane aliquis diligens est recti itineris. ut enim serui, iam seruitute liberati, cum operam iis nauare desiderint, quorum potestate tenebantur, postquam sui iuris sunt ac potestatis, omne studium, atque operam in se ipsi cõuertunt : sic animum seruili corporis obsequio liberatum in illius uersari arbitror actionis cognitione, quæ sibi propria est, ac naturalis. siquidem libertas, ut ab Apostolo didicimus, in eo est, ut ne quis rursus seruitutis iugo illigetur ; neque tanquam seruus fugitiuus, aut ueterator factus, nuptiarũ cõpedibus uinctus sit.

fit. Sed ad ipsum initium hæc mea redit oratio. Quoniam non in eo solum perfecta est libertas, ut a nuptiis abstinetur; ne quis ita exiguum & uile putet hoc uirginitatis officium, tanquã paruo carnis solum reprimendæ præcepto se perfecte agere arbitretur. sed quoniam quisquis peccatũ facit, seruus est peccati: illa in omni re studioque praua ad uitium propensio hominẽ quodam modo seruituti subiicit, uitique notam ei inurit, cum cicatrices atque inuisiones peccati plagis illi obducit. Quare qui summum hoc uirginale institutum assequi uult, eum & omnibus in rebus sui similem esse, & puram in omni uita integritatem castitatemque præferre oportet. Atque si ex ullis, quæ a diuino spiritu sunt, litteris huic orationi patrociniũ quærere oportet; ad ueritatis cõfirmationem per se satis est ueritas ipsa, quæ in Euangelio aliquid huiusmodi ex parabola quadã nobis præcipit. Optimos, atque esui aptos pisces a malis ac uenenatis ars piscandi secernit: ut ne, cum pestiferi ex illis aliqui in uasculum irrepserint, optimorum piscium usus inutilis fiat. Hoc item ueræ temperantiæ munus est, ex omnibus studiis, quod purum utile ue est, id in omni re deligere: quod uero obscurum est an expediat, hoc tanquam inutile reiicere, illudque communi, & mundanæ uitæ relinquere, quæ mare quoddam est parabolarum modõ appellata: quandoquidem psalmistes etiam psalmo quodam nobis confessionis doctrinam cum exponat, caducam hanc, & affectionibus expositam, turbulentamque uitam, aquas animam attingentes, & profundum maris, & procellas appellat: in qua sane uita omnis peruersa mens ad Aegyptiorum similitudinem, quasi lapis aliquis demergitur. Quod

uero

uero est Deo gratum, & ad ueritatem perspicendam uim habet: quod Israelis nomine est ab historia appellatum: hoc solum, quasi exsiccatis aquis, mare transit, cum nullam rerum humanarum acerbiteratem, quasi saluginem, lege duce attingat: adumbratio enim legis Moses erat. Atque populus quidem Israeliticus mare exsiccatis aquis tranfuit: Aegyptii uero cū illud ipsum transirent, omnes summersi sunt. horum uterque populus, sua quisque affectione ducebatur. Hic quidem facile, & celeriter mare transmittit: ille aquis imis demergitur. celer enim, atque expedita aliqua res, quæ in sublimis fertur, uirtus est: quandoquidem omnes, qui uirtuti congruenter uiuunt, quasi nebulae, ut Esaiæ contigit, quasi ue columbae cum pullis alte euolant: peccatum uero graue, &, ut unus e prophetis ait, quasi plumbi talentum deorsum fertur. Sed si cuipiã difficilis hæc historiae explicatio, & quasi ui quadam ad id sententiae adducta uidetur; neque quod in maris illa transmissione factum est miraculum, id ad utilitatem nostram litteris consignatum esse putat: Apostolum hic in consilium adhibeat: Quod enim illis euenit, & adumbrationem nostrae disciplinae habuit, & ad nostram institutionem conscriptum est.

Mentio Mariæ Aaronis sororis, quasi eius, quæ huius perfecti officii rationem inierit. XIX.

OBIS uero ut hæc ipsa commentaremur, occasionem dedit prophetissa Maria, quæ exsiccato mari transmissioque, mulierum choro stipata cum esset, canoro tympano præcinit: fortasse enim illa
historiæ

historiæ commemoratio tympano tacite significare uideatur uirginitatem, quæ primum à Maria excolta est. Nam tympanum omni aquæ humore purgatum, aridumque, magnum sonum emittit: ita uirginitas cum nullum huius uitæ humorem in se colligat, clara & illustris existit. Si itaque mortuum quidem corpus illud tympanum fuit, quod manibus Maria tractabat: corporisque affectuum interitus quidam uirginitas est: fortasse signum hoc non ualde remotum est, prophetriam hanc uirginem esse. Sed hæc nos quidem coniecturis quibusdam, & opinionibus, non certa demonstratione, ita esse putauimus, Prophetissam Mariam uirginū cætui præfuisse; licet multi, qui hæc animaduertent, cælibem illam fuisse aperte ostenderint: quoniam in nullis historiæ monumentis de eius matrimonio, aut liberorū procreatione memoriæ proditum est: alioquinō a fratre eius Aarone, sed a uiro si habuisset, nominata esset, quia nō frater, sed uir uxoris caput nominatur. At uero si a quibus in benedictionis parte liberorū procreatio expetebatur, iis etiam legitima fuit, & honesta uirginitatis gratia: quomodo nos, qui carnis uinculis astricti, diuinas benedictiones nō exaudiuimus, in hac uersari decet? Diuinis enim sermonibus apertū, & patefactum est, quando & concipere & parere salutare sit, quod ue multæ prolis genus a sanctissimis Dei uiris expeteretur. Nam & propheta Esaias, & diuinus Apostolus hæc ipsa aperte sapienterq; significarunt: unus quidem his uerbis. Sic facti sumus a facie tua Domine: cōcepimus, & quasi parturiuimus. Alter uero in omnibus gentibus se multos genuisse gloriatus est, ut & ciuitates uniuersas & nationes pepererit: cum nō Corinthios

K solum

solum, Galatasque suis laboribus ad lucem adduxerit, & ad Dei religionē informauerit, sed ab Hierosolyma undique illas omnes continentis regiones usque in Illyricum suis liberis expleuerit, quos Euangelii uirtute Domino genuit. Ita beatus in Euangelio prædicatur sanctæ uirginis uenter, qui immaculato partui ministrauit, quia neque partus uirginitatem dissoluit, neque uirginitas huic partui impedimento fuit. Cum enim spiritus salutis nascitur, ut inquit Esaias, inutiles omnino sunt carnis uoluntates: atque in hanc sententiam est aliquis apud Apostolum sermo. Nostrum quisque duplex homo est, unus quidem qui extrinsecus definitur, cui a natura est datū ut corrumpatur; alter uero qui ex occulto cordis intelligitur, qui renouationem capit. Si igitur uerus sermo, is autem uerus est propter ueritatem, quæ in eo loquitur: minime absurdū est, duplex in utroque, qui in nobis est, homine putare matrimonium mutuum, & conueniens esse: fortasseque qui dicere audebit, corporis uirginitatem, spiritualis atque interioris matrimonii adiutricem atque hospitem esse, is a recto non aberrabit.

Fieri non potest, ut corporis uoluptatibus simul quis seruiat, & temperantiam, quæ Deo grata sit, assequatur. XX.

UEMADMODVM non possumus manuū munere actioneque duas simul artes exercere, ueluti & agriculturæ & nauigationi simul operam dare, ferrariamque simul & lignariam facere: sed
 si quis

si quis uni recte sese daturus est, alteram deferat necessesse est. Ita cum binæ nobis propositæ sint nuptiæ, quarum unæ carnis opere cõficiuntur, alteræ uero in spiritu consistunt: studium, quod in unis ponitur, ab alteris nos necessario separat. Neque enim oculus satis est, qui res duas simul uideat, nisi separatim ac per se in earum rerum alteram, quæ cerni possunt, se coniiciat: neque lingua diuersarum uocum sonis simul seruiet, ut hebræas & græcas uoces eodem tempore simul exprimat: nec aurium item sensus & rerum explicationem, & uerborum, quæ ad docendum apposita sunt, orationem una percipiet: dissimilis enim sermo est, qui si separatim auditur, sententiam auditori imprimit: si uero confuse exprimitur, aurium sensum perturbat, atque iis, quæ significantur, confuse prolatis, quædam non distincta confusio mentem occupabit. Pari ratione appetitio nostra naturam non habet, ut corporeis simul uoluptatibus seruiat, & spirituales nuptias ambiat: neque enim similibus studiis utriusque rei propositum assequi licet: unius enim ratione & continentia, & corporis affectuum interitus, & eorum omnium, quæ e carne existunt, despicientia nobis conciliantur: e corporea autem coitione omnia his contraria apparent. Veluti igitur cum de duobus dominis ad deliberandum propositum est, quoniam fieri non potest, ut utriusque imperio quis simul pareat: nemo enim potest duobus dominis seruire: is, qui recte sapit, utiliorem ex his dominum deliget: ita si binæ propositæ sunt nuptiæ, quia in utrisque esse non licet; caelebs enim, quæ diuina sunt, curat: qui uero nuptiis iunctus est, in rebus mundanis studium ponit: temperantium hominum est, non aberrare in eo deligendo,

K ii quod

quod utile est : neque uiam ignorare, quæ ad bonum ducit : quam quidem uiam nemo aliter, nisi aliquo eiusmodi exemplo cognoscere potest. Ut enim qui in corporeis nuptiis cupit non uilis, & abiectus esse, cum appetat optimum corporis habitum, decorum ornatum, diuitiarum copias, & omnem aut ex uita, aut ex genere turpitudinem uitet, humanamque in hoc curam ponat: hoc enim pacto id assequitur, quod maxime uult: ita qui spirituale matrimonium contrahere cupit, primum quidem mentis renouatione iuuenem se & ab omni senectute remotum, deinde diuitem se ostendet, & copiosum earum rerum, quibus abundare maxime beatum est, non his terrenis opibus extolli, sed caelestibus thesauris ornari. Generis uero nobilitatem non ex fortuna quadam, quæ casu aduenit, qualis plerisque uel pessimis hominibus contingit, ille se habere contendet, sed eam, quæ & labore, & studio ex suis recte factis comparatur. hanc ii soli ostentant, qui sunt lucis, & Dei filii, & solis ortu illustres, ob clarissima eorum facta iura reddunt. Fortitudinem autem, atque optimum corporis habitum, neque corpus exercendo, neque carnem saginando efficiet: sed contra potius uim spiritus imbecillitate corporis perficiat. Quæ uero harum nuptiarum sponsalia munera adhibentur, non ea sunt, quæ his fallacibus hominû sunt pecuniis elaborata, sed quæ ex animi diuitiis dono data sunt. si munerum horum nomina audire cupis, audi Paulum optimû nuptiarum instructorem de quibusdam, qui diuites in omnibus facti sunt, in quibus cum alia multa & magna dicat, illud etiam, In castitate, addit. Rursusque quæcunque alibi in spiritualibus fructibus numerantur, omnia harû nuptiarum

ptiarum dona sunt. Ac si quis Salomoni fidem adhibiturus est, ut & contubernalem sibi, & uitæ sociam ueram sapientiam adiungat, de qua is ait: Dilige eam, & custodiet te, honora eam ut cõplectatur te: hic pro huius cupiditatis dignitate stola pura ornatur, cum iis, qui nuptiis his gaudent, diem festum agendo, ut ne foras eiiciatur. qui enim festi diei celebritatis participem se esse dignum putat, nuptialem uestem non induit. Perspicuum uero est & in uiris & in feminis communẽ ad huiusmodi nuptiarum studium esse rationem: quia ut est apud Apostolum, non est masculus, neque femina, sed omnes & in omnibus Christus: merito qui sapientiæ amore ducitur, hic in omni cupiditate propositum sibi Christum habet, qui uera sapientia est. atque animus is qui cum incorrupto sponso sese iungit, ueræ sapientiæ, quæ Deus est, amore tenetur. Quid sit autem spirituale matrimonium: quo ue purus cælestisq; amor spectet, ex iis sane, quæ commemorauimus, satis est a nobis demonstratum.

Qui accuratam hanc uiuendi rationem tenere instituit, ab omni corporis uoluptatum genere se abdicare debet. XXI.

QUONIAM sane manifesto compertum est, non posse quempiam ad Dei puritatem accedere, nisi talis ipse prius factus est: illud certe necessarium est, ut se magno aliquo, firmoque interiecto muro, a uoluptatibus remoueat: ut nullo quidem pacto, hac appropinquatione, cordis inquinetur mundities. murus uero firmissimus est quædam ab affectuum imperio

imperio abalienatio. Cum enim uoluptas, ut a sapientibus intelligi licet, genere una sit: ueluti aqua aliqua, quæ ab uno fonte manans in uarios riuulos partitur: sic illa per singulas sensuum uias sese in uoluptatum amatores infundit. Igitur qui ex uno aliquo eius uoluptatis sensu, quæ sibi inhæret, uictus est; ex ea parte, ut uoce Domini monemur, plagam in corde accepit. quoniam qui oculorum sensu cupiditatem expleuit, corde is peccati labem concepit. Quod uero de parte illic est a Domino prædictum, id de uniuersis sensibus intelligi arbitror, quasiq; nos illud, quod dictum est imitando, recte hæc addamus. Qui ad concupiscendum audiuit, qui tetigit, qui denique omnem, quæ in nobis est, facultatem ad aliquem uoluptatis usum dissoluit, is corde peccauit. Quare ut ne hoc eueniat, regula est hæc adhibenda ad uitæ temperantiam accommodata, ut animum ne ad aliquid unquam quis adiungat, in quo aliqua permixta est uoluptatis cupiditas: atque imprimis uoluptatem eam maxime caueat, quæ gustatu percipitur: quoniam antiquior quodam modo, quasiq; uitii mater uidetur. Quæ enim e cibo, atque potione existunt uoluptates, cum modum plus iusto excedant, grauium malorum necessitatem corpori imponunt: quoniam immoderata cibi satietas multos admodum huiusmodi morbos mortalibus parit. Ergo, ut nulla potissimum horum malorum turba corpus perturbatum in nobis tranquillum maneat, continentior uitæ disciplina quædam est diligenter procuranda, adhibendaq; ut non uoluptatem sed necessarium in singulis usum delectationis modum & terminum constituamus. Sin autem cum necessitate iucunditas sæpe cõmixta est: quoniam,

niam condimentum omne nouit indigentia , quæ uehementi cibi appetitione id , quod ad cibi usum comperum est , suauitate condit : oportet neque propter oblectationem , quæ consequitur , necessitatem abiicere , neque propter ipsam necessitatem uoluptatem persequi , sed ex omnibus deligendo id , quod utile est , illa , quæ sensum oblectant , negligere nos debemus .

Continentiam exercere non debemus
plus quàm oportet. XXII.

IDE MVS autem quemadmodum & agricolæ paleas frumento commistas artificiose fecernant , ita ut ex his utrunque ad usum suum , hoc quidem ad hominum uitam , illas uero & ad combustionem & ad bestiarum pastum assumant . Igitur & qui temperantiam colit , a uoluptate necessitatem , quasi a paleis frumentum seiungit : ut uoluptatem quidem ad bestias eiiciat , quarum consumatio , ut uerbis Apostoli utar , est in combustionem : necessitatem uero rerum suauium , quatenus oportet , ipse sumet : sed quoniam plerique in alterum immoderationis genus delapsi inciderunt , studiumq; in eo , quod sibi propositum habent , ipsi adhibentes ex nimia quadam diligentia in res contrarias uenerunt : atque alio quidem modo a rebus cælestibus ac diuinis animum remouentes , in occupationes & curas humiles ceciderunt , cum ita ad harum rerum , quæ corporeæ sunt , obseruationes mentem adiecerint , ut neque cælestia illis , neque diuina liberum sit animo contemplari : sed ad hoc inclinati sint ut carnem exagitent , atque affigant : præclare certe

certe ageretur huius etiam rei curam adhibere : atque
 hanc utranque immoderationem æqualiter refugere, ut
 neque corporis obæsitatem mentem quasi aggeribus cir-
 cumsepian, neque rursus inductis imbecillitatibus te-
 nuem illam, & humilem efficiant, & ad corporis labo-
 res prorsus inutilem ; meminerintque illud præceptum
 sapientis uiri, qui prohibet, ut ne quis ad dextram, ne-
 que ad sinistram declinet. Audiui equidem medicum
 quempiam artis suæ præcepta differentem dicere : cor-
 pus nostrum quattuor non eiusdem generis elementis,
 sed diuerse inter se affectis concretum esse : calidumque
 frigidò misceri ac temperari : humidæque naturæ tempe-
 rationem quandam ex arida siccaque præter opinio-
 nem fieri, mediaque quadam rerum, quæ conueniunt,
 cognatione adhibita cum contrariis coherere. Atque
 subtili huiusmodi arte ille, qui in hoc indagandæ natu-
 ræ studio uersatur, rationem demonstrat, aitque singu-
 la hæc ab oppositis naturaliter, quasi medio interiecto,
 disiuncta ; quodam qualitatum propinquarum affinita-
 te cum contrariis conuenire. Cum enim frigus & calor
 æqualiter cum humore ardoreque cohereant : rursusque
 humor & ardor æquali caloris & frigoris temperatione
 componantur : hæc qualitatum eadem æqualitas, quæ
 in contrariis apparet, rerum inter se contrariarum con-
 uenientiam per se gignit. Sed quid ad me singula dili-
 genter explicare attinet, & quo modo hæc ob naturæ re-
 pugnantiam inuicem disfungantur, & rursus ob qualita-
 tum cognationem, mutuo temperata coniungantur ?
 Verum eam ob causam nos de iis, quæ diximus, men-
 tionem fecimus, quoniã, qui, his rebus animaduersis,
 corporis naturam cõmentatus est, hic monuit æqualem
 eam

eam qualitatum potentiam omni ratione curari oportere, quia in hoc sita est bona ualētudo, ut nihil eorum, quæ in nobis insunt, ab aliis superetur. Igitur nos huiusmodi corporis constitutionem, si quid ueri earum rerum commemoratio habet, ad ualētudinē perpetuo tuendam curare debemus, ut ad nullam partē eorum, ex quibus compacti sumus, neque nimium, neque parum ex inæquali uictus ratione addamus, atque uehiculari rectorem, quàm maxime possumus, imitemur. Ut enim ille si forte equuleos non consentientes concordetq; regit, neque celerem uerberibus incitat, neque tardum habenis reprimat; neque rursus peruersum, effrænatum, indomitum suis illum incitationibus in ordinis perturbationem efferrī finit, sed hunc dirigit, illum refrænāt, & alium flagello impellit, quoad unam omnibus ad currendum conpirationem effecerit: eodem modo mens nostra, quæ corporis habenas in se habet, non ignis additamenta excogitabit ardori, qui adulta ætate uehementior sane est, quàm oportet: neque quod aut tempore, aut affectu refrixerit, magis ea accendat, quæ frigida & extincta sunt: atque in reliquis quidem qualitibus pari ratione id audiet, quod diuini litteris scriptum est: Ne qui multum, abundet: qui parum, minus habeat: sed quod in utroque immoderatum est, amputans, augere id curabit, in quo deest: & corporis incommoditatem æqualiter in utroque cauebit, ne uel præ abundantia deliciarum ita perturbata sit caro, ut regi non possit, uel præ immoderata afflictatione male affecta, tenuis, & ad usus uitæ necessarios in firma efficiatur. hac ratione illud perfectissimum est continentiæ propositum; ut nō ad corporis afflictationem,

L nem,

nem, sed ad commodas animi functiones spectet.

Ad animi perfectionem tam impedit corporis
obæsitās, quàm afflictatio im-
moderata. XIII.

VI uero philosophiæ deditus est, quem ui-
tæ cursum in singulis rebus tenere eum oportet, & in quibus uersari, & quæ cauere, & ad quæ studia animum adiungere, quæ ue sit continentiæ ratio, qui disciplinæ modus, qui denique uitæ cursus omnis, qui ad hoc propositum spectat, cuiusque gratum est diligenter cognoscere; præcepta quidem multa litteris consignata sunt, quibus hæc ipsa traduntur. sed minorem uim habet illa præceptorum explicatio, quæ uerbis potius, quàm factis demonstratur. nullaque rei difficultas inest, ut aut longinquum iter, aut multam nauigationem nos subire oporteat, ut præceptorem huiusque disciplinæ magistrum assequamur. Sed prope te uerbum est, inquit Apostolus, & in præsentī gratia. Hoc loco uirtutum officina est, in qua huiusmodi uita ad summam quandā integritatem progressa, sordibus purgata est. Multa etiam hoc loco cū iis, qui tacent, tum illis, qui loquuntur, proposita est facultas, ut ex factis ipsis cælesti hoc uitæ instituto erudiantur. quoniam oratio omnis, quæ nullis factis perspicua est, etsi ornatu multo perpolita est, ad inanimatæ imaginis similitudinem prope accessit, lineamētisque & coloribus quasi florentem aliquam formam præseferet. Nanque qui facit, & docet, ut quodam loco est in Euangelio, hic uere homo, & pulchritudine insignis, qui

qui uiuat, agat, & moueatur. quare ad hunc se conferre eum oportet, qui ex oratione, quæ loquitur, uirginitate florebit. Ut enim qui alicuius nationis sermonē discere instituit, minime per se satis est, ut a se ipse erudiatur: sed ab iis, qui illius sermonis periti sunt, instituitur: atque hoc pacto breui ex audiendi consuetudine progressus, peregrini sermonis particeps efficitur: sic opinor, si hæc uita non naturæ uia progreditur, sed nouo quodam instituto aberrat, eam perfectè a nemine posse percipi, nisi optimo uiro duce utatur: atque alia omnia, quæcunque huic uitæ studia proposita sunt, rectius ab eo perficerentur, qui illis deditus est, si a doctoribus, magistrisq; scientiã illarum rerum perciperet, quarum studio teneretur, quàm si per se ad rem aggrediretur: non enim in principiis institutio hæc est, ut ex necessitate quis res, an utiles sint, ad suum iudicium deferat: quandoquidem rerum incognitarum periculum facere audere, non extra discrimen positum est. Quemadmodum enim medicinam prius incognitam ex usu rerum homines inuenerunt, quibusdamq; obseruationibus eius præcepta breui patefecerunt, ut cum rerum, quarum periculum factum est, exemplo esset cognitum, quid prodesset, quid ue noceret, id hoc modo in artis rationem redactum sit: quod ue a maioribus ea de re præceptum fuit, id sit postea diligenter obseruatum: nunc uero qui ad hanc artem se contulit, non necesse habet suo periculo medicamentorum uim cognoscere, num uenenum sit, an remedium: sed cognitæ res cum ab alio discat, ipse medendi munere perfectè fungetur: pari ratione de animorum medicina dicendum est. Hæc autem philosophia est, ex qua omnis affectionis,

L ii quæ

quæ animum attingit, curationem cognoscimus. Non necesse igitur est, coniecturis quibusdam, atque commentationibus scientiam persequi, sed cognitionis eius facultas multa in eo est, qui diuturna multa ue consuetudine adeptus est habitum. Periculosa est enim plerumque uel in omni negotio consiliorum moderatrix adolescentia: neque facile quispiam aliquid earum rerum, quæ studio dignæ sunt, recte ab eo factum comperit, a quo non est senectus in consilii societatem adhibita. quanto enim quod nobis propositum est, reliquis studiis grauius, maiusq; apparet, tanto diligentius nos periculum cauere debemus. Nam adolescentia quidem, quæ non consilio regitur, in reliquis rebus, aut facultatibus suis damnum importauit, aut aliquo mundanæ laudis splendore, aut dignitate spoliata est: in hac uero cupiditate magna illa quidem, ac diuina non pecuniæ in periculum ueniunt, non gloria mundana, unius diei spatio deficiens, non aliæ denique ullæ res, quæ aliunde nos consequuntur: quas quidem res ego sane despicio, exiguamq; harum tanquam extrinsecus uenientium rationem moderati ac temperantes homines habent: sed consilii temeritas ipsum animum commouet: atque huius detrimenti periculum est, non illius sane, quo cum quis afficitur, fortasse fieri posse uidetur, ut illud ipsum resarciat: sed illud quidem, ut ne se ipsum quis perdat, atque animæ suæ damnum importet. Qui enim patria bona consumpsit, non fortasse desperat, quamdiu in uita est, quibusdam adhibitis cogitationibus, se ad pristinas rursus posse peruenire bonorum copias. qui uero a uita ipsa cecidit, omnem simul spem abiicit posse se ad meliora redire. Itaque quoniam adolescentes

ab instituto spei cursu defistunt , naufragio deterriti , quod quispiam fecerit : sed bona sua spe ipsi excitati ad perfecti muneris finem festinant . An non maxime omnium absurdum esset ; qui in errorem incidat in exquisitissima uiuendi ratione , improbum eum putare ; qui uero in omni uita in uitiis confenescit , opinari eum melius consulere ? Si enim graue est semel peccatum admittere , proptereaq ; tutissimum esse statuis , sublimius aliquod institutum non aggredi : quanto difficilius est , si quis uitæ studium in peccato adhibeat ; eamq ; ob causam puriorem uitam omnino non experiatur ? Quo modo qui ita uiuit , & qui in peccato ualet , audiet eum qui & crucifixus , & peccato mortuus est ? Quo modo qui neque mundo crucifixus est , neque carnem afflixit , illi obediet , qui se sequi iubet , & crucé corpore , quasi de hoste trophæum aliquod tollere ? Quo modo Paulo , qui te his uerbis adhortatur ; Exhibe corpus tuum , hostiam uiuentem , sanctam , Deo placentem , obtemperas , qui huius sæculi habitum induis ? qui neque mētis tuæ renouatione immutatus , neque nouam huius uitæ uia ingressus ueteris hominis uitæ institutum persequeris ? Quo modo Dei sacerdotio fungeris , qui ad hoc ipsum , ut munus offerres , unctus es ? munus sane non omnino alienum , neque suppositum ex iis , quæ tibi extrinsecus eueniunt ; sed re uera tuum , quod est , homo tuus interior , qui tanquam agnus innocens , & perfectus esse debet , ab omniq ; macula , ac a sordibus remotus . Quo modo hæc ipsa Deo offeres , qui legi non obtemperas prohibenti , ne sacra impurus faciat ? Ac si Deum tibi apparere expetis , quid causæ est , cur Mosem non audias , qui populo edicit , ut a nuptiis purus sit , quo
Dei

Dei aspectum cōprehendat? sin exigua hæc tibi uidentur: cum Christo simul crucifixum esse, se ipsum hostiã Deo exhibere, sacerdotem fieri altissimi, magnoq; illo Dei splendore dignum se haberi; quæ altiora nos tibi commentabimur? num parua gloria tibi ex his rebus accedit, quòd simul cum eo crucifixus, simul uiuas, simul gloria tu orneris, & una sis regnaturus? ex eo autem, quòd se ipsum Deo quis exhibuit, ab humana natura dignitateque licet in Angelicam commutari. ita enim Daniel, Millies mille astiterunt ei. qui autẽ est ab eo acceptus, qui uerum sacrificium est, summoque sacerdotum principi se ipsum constituit; manet omnino & ipse sacerdos in æternum; nec a morte in sempiternum permanere prohibetur. Illius uero, qui dignum se Deum uidere putauit, non aliquis alius fructus est, quàm hoc ipsum, nempe quòd Deum uidere dignus habitus est. Omnis enim spei summa, omnis cupiditatis perfectio, omnis & beneficentiæ, & promissi diuini, & ineffabilium bonorum; quæ neque sensu, neque cognitione percipi posse credita sunt, finis hic est atque caput. hoc Moses expetiuit, hoc multi propheta, hoc & reges uidere cupierunt. soli uero hi digni putantur, qui corde puri, qui ob hoc ipsum beati sunt & habentur, quoniam ipsi Deum uidebunt. ex quibus te unum fieri uolumus, qui cum Christo una crucifixus, te purum sacerdotem Deo exhibeas: qui ue omni pura integritate sacrificium purũ factus, castitatis ipsius præsidio te ad aduētũ Domini pares, ut tu quoque puro corde Deũ aspicias, ut promissio nobis facta est a Deo, seruato req; nostro Iesu Christo, cum quo gloria omnipotenti Deo, una cū Spiritu sancto in sem piterna sæcula. Amẽ.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.

4

